<3670007627001 8

<3670007627001 8

Bayer. Staatsbibliothek

J. VINCENTII

GRAVINÆ

OPUSCULA.

ROMÆ, MDCXCVI.

Et denuo Neapoli, Ex Typographia
Felicis Mosca MDCCXXIII.

Superiorum Permissu.

W b/65/2969

Bayerische
Staatsbibliothek
München

INNOCENTIO

DUODECIMO

Pont. Opt. Max.

PAUPERUM PARENTI,
VETERIS DISCIPLINÆ VINDICI,
PUBLI. TRANQUILLITATIS AUCTORI:
PER QUEM
PRETIO ET GRATIÆ
DIGNITATES EXEMTÆ,
HONORUM SORS ADDICTA
VIRTUTI,
PRISCA FORI MAJESTAS,
ET
JUDICIORUM SEVERITAS
INSTAURATA:
J. VINCENTIUS GRAVINA
SUAS HASCE LABORUM
PRIMITIAS
VENERABUNDUS
DICAT CONSECRATQUE.

OPUS

OPUSCULORUM

SERIES.

Specimen prisci juris.
De lingua Latina dialogus.
De conversione doctrinarum.
- De contemtu mortis.
- De luctu minuendo.
Delle antiche favole.

Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ ἓυ, ἀλλ' ἐν τῷ ἓυ τὸ μέγα.

J. VIN-

Bayerische Staatsbibliothek München

J. VINC. GRAVINÆ Jurisconsulti SPECIMEN PRISCI JURIS, AD GASPAREM CARPINEUM CARDINALEM.

SÆpe contigit, Gaspar Cardinalis ampliſſime, ut cum *juriſconſulti* & eruditi contenderent inter ſe, ac ſuam viciſſim doctrinam verbis extollerent, extenuarent alienam; ipſe a neutris gratiam inirem, propterea quod apud eos, quorum pars a juriſprudentia eruditionem removerant omnem, pars nunquam eruditioni juriſprudentiam adjunxerant, negarem ea ſtudia eſſe diſtrahenda, ſed ad ſummam eruditionem veteris Juris notitiam, & ad plenam, atque maturam juriſprudentiam reconditam, & exquiſitam eruditionem pertinere confirmarem. Quam ego ſententiam no-

ſtris quidem temporibus, in quibus ſaex interpretum, ſordeſque forenſes non modo innatam Juri civili eruditionem, ſed Jus civile ipſum ab injuſtis poſſeſſoribus jam diu occupatum obruerunt, ſatis invidioſam, tibi tamen prae caeteris probatum iri confido; utpote cum ad diuturnum, ac ne punctum quidem temporis in vita intermiſſum, civilis & Pontificii juris ſtudium, aſſiduumque veterum & novorum interpretum uſum, antiquitatis Romanae notitiam, & ſeveram, ac ſolidam, non fucatam, aut ambitioſam eruditionem, ſumma cum laude nominis tui, ac omnium fere mortalium utilitate contuleris.

Etenim ne aliquis illorum eſſes, qui quum interpretes populo dati ſunt, interpretem ſibi alium e populo quaerere coguntur; uſque ab adoleſcentia ſacrorum curam, & privatarum, publicarumque cauſſarum cognitionem pro deferendis muneribus ſuſcepturus, non modo Jus, in quo verſamur, cognoſcendum; ſed veterem omnem Eccleſiae ſtatum percurrendum tibi putaſti, & antiquorum patrum ſapientiam tui muneris ſociam, atque conſortem dignitatis adſciviſti; ut e ſtirpe ſua repeteres eam conſiliorum copiam & maturitatem,

qua

qua diu gentibus prospexisti, quaque tuis sententiis eam auctoritatem conciliasti; ut non modo haec aetas aequi & iniqui discrimen a tuo judicio deducat; sed & gravissimi illi antiqui moris judices Coruncani & Cassii, si tecum irent in consilium, tibi deliberationem suam committerent, tibi jus omne traderent mentis suae, plusque in responsis tuis, quam in propria conscientia ponerent. Jure igitur Urbs universa de summis rebus deliberatura veretur ne quid sine auspiciis aggrediatur, nisi te antea consuluerit; ita ut rerum arbitrium extra ordinem quodammodo tibi permiserit. Quo effectum est, ut incremento gloriae, quam tibi uni debes, ampliſſima illa ornamenta superaveris, quae a majorum tuorum splendore proficiscuntur; & cum sublimiores honorum gradus adscenderis, nullam adhuc meritis parem inveneris dignitatem.

Nos vero contentionibus illis excitati, quo demonstremus jurisprudentiam a retrusiori eruditione descendere, ac simul facem aliquam, quantum in nobis est, Juris civilis studiosis praeferamus, adjecimus nuper animum ad exponendas origines Juris civilis. Quod si mihi succesſerit ex sen-

tentia, facile vicero eruditionem omnem incurrere in jurisprudentiam, ac Jus civile vix ab ullis melius posse praestari, quam ab iis, qui exemplo graviorum interpretum leges e suis hausere fontibus, iisque studiis usum incorruptae latinitatis, & philosophorum acumen, ac veterum notitiam temporum adjunxerunt. Quod opus cum plurium annorum sit, & immensi laboris ac industriae; interea loci quo monumentum aliquod obsequii & cultus erga te nostri statuamus, ex rudibus adhuc illis, nec dum digestis commentariis, specimen hoc excerpsimus, in quo breviter exposuimus, quae fusius in primo *De originibus* libro disputabimus. Quod munusculum, quantulumcumque illud sit, pro tua humanitate non gravate accipias rogo.

Quoniam igitur nemo est auctor sui, nec ullam homo sibi tribuere facultatem potest, sed tantum edere, atque versare quod in tributis facultatibus conditum a Deo fuit, a quo proficiscitur quantumcumque praeferimus; ideo quatenus cujusque facultas excurrit, eatenus cupiditatis jura porriguntur: siquidem natura nemo alteri jure propriae facultatis exercendae praecellit. At quia dispa-

res

res hominum ſunt & finitae facultates, infinita vero cupiditas ſingulorum; ideo concurrentibus cupiditatibus omnium, ſimul facultates impelluntur; ita ut vel minores coërceantur a majoribus, vel pares mutuo collidantur. Quam animorum conflictationem rapinae, jurgia, & mutuae caedes, & tumultus, & rerum omnium perturbatio conſequeretur, niſi cupiditatum impetum ratio comprimeret recto uſu libertatis, quae regendis data eſt, flectendiſque motibus animorum, eaque ratione magis exprimitur, quam cupiditate: ratio enim expeditur cujuſque naturae poteſtate, cupiditas rebus externis, vel coërcetur, vel impellitur, vel agitatur; ut quo cupiditas latius effunditur, eo libertas, arctius contrahatur: ideo cupiditatem, ſupra quam fert naturae facultas attollentes, ab ipſa natura, quam maxime conamur augere, deſciſcimus: quoniam ea complectimur animo, quae rebus potius externis, quam naturae facultatibus gubernantur, & ab alienis occupati, curam noſtri externarum cauſarum potentiae tradimus, iiſdemque rebus obnoxii, quas urgemus, dum ad majorem poteſtatem contendimus, miſeriorem incurrimus ſervitutem.

Quo igitur se quisque sibi vindicet, naturae potestati cupiditas est exaequanda, & componenda ratione, quae nihil aliud est quam propriae naturae potestate circumscripta voluntas: quam vel honestatis initium appellemus licet, vel ipsam potius honestatem.

Virtus enim, quae nullis rebus extra se positis ducitur, sed propriae naturae viribus explicatur, summum est libertatis, & honestatis opus: ideo sapiens, qui omne bonum in virtute ponit, summam, quae quidem homini convenit, assequitur libertatem. Quamobrem sapientes, qui potissimum rationem habuerunt expeditam, suo sibi consilio regendos susceperunt eos, qui animum quodammodo in potestate non tenent, quique magis alienarum opum, quam propriae tranquillitatis desiderio rapiuntur, & a cupiditatibus & voluptatibus, quibus indulgent, suo & aliorum detrimento in maxima pericula conjiciuntur. Quoniam igitur usu compertum fuit & ratione provisum, homines, si jus quisque suum propria utilitate, ac facultate metirentur, cupiditatibus distractos perpetuo conflictatum iri, ac omnium salutem in assiduo periculo versari; propterea sapientia,

sive

sive adulta ratio, sua cuique rerum portione tributa, ut intestinum & externum periculum arceret, societatem conflavit; utque conflatam societatem perpetuo tueretur, civile bonum propria & communi utilitate definivit. Quo vero singulorum & commune bonum perpetuis vinculis contineretur, certis pactionibus constituendis atque firmandis, suam quisque voluntatem contribuerunt, ac in medium proprias contulere facultates: ut ex omnium voluntatibus & facultatibus eodem confluentibus publica voluntas exoriretur & summa potestas: quarum altera dicta lex est, sive communis ratio, vel civilis sapientia, & publica philosophia; altera imperium, sive virtus, & facultas universorum: eaque non sapientibus, sua quibus ratio lex est & imperium, sed iis sunt posita coërcendis, ad quorum animos componendos ratio non valet; ut quae perturbatio propria ratione non reprimitur, ratione ac potestate publica, & alia majori perturbatione, nempe mortis & poenarum metu, contineatur. Etenim ad importunos morbos medicinam adhibemus saepe tristiorem, & ubi vulnus fomentis non levatur, ferrum tandem & ignem admovemus.

Hinc ex placida & inermi armata prodiit & imperiosa sapientia, cujus vi libertas nostra minime praeciditur, quoniam ea potestas exstitit ex confusis omnium facultatibus, & lex, universorum complexa voluntates, singulorum rationem & potestatem in se ipsa conditas perpetuo conservat: unde qui lege premitur, non aliena vi, sed sua potius imperii portione gubernatur. Quocirca omnium interest tueri leges, utpote vinculum publicae salutis, qua unusquisque intelligit contineri suam. Ubi enim homines mutuo compulsi metu convenerunt in civitatem, portio suae sit quisque reipublicae, cujus commodum privatorum criminibus rescissum, eorumdem est poena sarciendum, ut exemplo alieni supplicii a publica salute, quae singulos tuetur, novorum criminum pericula propulsentur. Ideo conditis legibus, & imperio constituto, rei administrandae ratio quaerenda fuit: unde publica potestas, vel in multitudine constitit, vel ad optimates adscendit, vel consedit in principe, vel tributis communi consensu partibus per singulos ordines permeavit. Quae potestas ad communem utilitatem publica voluntate instituta, si publicae salutis detrimento,

to, & ſingulorum injuria, vel ad unius, vel ad paucorum utilitatem detorqueatur, eodem revolvitur. Abeſt enim a tyrannide conſenſus univerſorum, ſine quo nullum ratum eſt & juſtum imperium. Unde quod commodo civium fieri poſſit, licebit ſane rempublicam a praedone repetere, ne cunctorum opes & ſalus, paucorum aut unius cupiditatibus, vel libidinibus devoveantur. Etenim res eſt ſacroſancta libertas, & divini juris: quippe humanae a Deo implicata naturae; ut eam tentare ſcelus ſit, impiũ circumvenire, occupare nefarium. Et contra, publicae utilitatis cauſsa jus eſt principibus, atque potentioribus legum vim armis, & auctoritate reſtituere, ſi juſtam libertatem effuſiori licentia multitudo corruperit.

Suprema vero poteſtas ſive in populo, ſive in optimatibus, ſive in principe, ſive pro ſua cujuſque portione conſiſtat in omnibus, explicatur per magiſtratus & judices, adhibitis in conſilium juriſconſultis, qui ſunt legum voces, & Juris cuſtodes, atque juſtitiae ſacerdotes. Hanc autem univerſam rationem publicae tranquillitatis, prudentiſſimi legumlatores, ut populorum natura fere-

bat, formarunt, atque flexerunt, & ad ſuos cujuſque regionis & temporis mores derivarunt. Hinc quamvis unam omnibus honeſtatis informationem natura dediſſet, vultu tamen ac ſpecie minime apud omnes exprimitur eadem, ac diverſae populorum & diſcrepantes ſunt inter ſe leges; quoniam non iiſdem ex fontibus ſuam omnes ducunt utilitatem: cumque unum ſit opus univerſorum, ſingularum tamen urbium regimen pro temporum & morum varietate diſtinguitur. Sane Judaeis, quem ſibi populum Deus olim habuit eximium, lex divinis promta fuit oraculis, eorumque regimen ipſius divinitatis voce conſtitutum: unde rectè Joſephus Judaeorum rempublicam Θεοκρατίαν, ſive divinum regimen, appellavit.

Aliarum gentium, & Romanorum leges, ad quas deſcendemus, ex humano profluxere conſilio. Omnium autem principem leges dediſſe ferunt 1. Cererem, in majorum deorum numerum, quos Cabiros vocabant, ab Ægyptiis relatam; quorum ſimulacra deorum nemini, niſi ſacerdotibus, adeunda, Cambyſes poſt longam ejus ſuperſtitionis deriſionem incendit. 2.

Ea

1. Plin. Hiſt. lib. 7. cap. 56.
2. Herodot. lib. 3.

Ea sacra Erictheus Ægyptius Athenas, ubi magna erat rei frumentariae penuria, comportato frumento transtulit, 1. eoque beneficio meruit ut regnum ei deferretur, ac in Eleusi sacrum Cereri solenne institueretur. Sunt qui legum institutionem tribuant Onomacrito, de quo haec ab Aristotele traduntur lib. 2. Politic. πειρῶνται δ' καὶ τίνες καὶ συναίγειν ὡς Ὀνομακρίτου μὲν γενομένου πρώτου δεινὸ περὶ νομοθεσίαν.

Alii primas leges ducunt a Rhadamantho 2. Lyciae Rege, hoc nomen adepto, quod apud Rhodum ab Ilienſibus fuerit institutus: isque ob insigne studium justitiae, quo in vita tenebatur, fingitur apud inferos mortuorum culpas aestimare. Persis Zoroastrum leges tradidisse complures existimarunt, ac eum esse censuerunt antiquissimum. Cum autem de illius aetate summopere contenderetur, ac a Xantho Lydio sexcentum annos 3. a Zoroastro ad Xerxem, ab Hermodoro Platonico annorum quinque millia fluxisse a Zoroastro ad excidium Trojae crederetur; duo ab aliquibus positi fuere Zoroastri, cum

1. Diodor. Sicul. lib. 1.
2. Plin. lib. 7. cap. 56.
3. Diog. Laër. prooem.

teſtimonia ſcriptorum frequentiora ſint de illo aſtronomiae peritiſſimo, quem Perſae recentiores Hyſtaſpis Darii Regis patris aequalem faciunt: a quo Hyſtaſpe magorum doctrinam enatam eſſe, Darius filius in patris monumento inſcribendum curavit. Caeterum Appulejus Zoroaſtrum conſtituit ſub imperio Cambyſis, cujus inter captivos Pythagoras, ut idem Appulejus tradit, doctores habuit Perſarum magos, ac praecipue Zoroaſtrum. Ægyptii ab utroque Mercurio leges acceperunt; ab eo ſcilicet, de quo 1. Cicero tradit Ægyptios non leges modo, ſed & literas accepiſſe, quem Theut appellabant, quemque poſteriores rerum Ægyptiarum ſcriptores antiquiſſimum faciunt, 2. & ab eo, quem Moeri Regi ſucceſſiſſe Marshamus ex Syncello colligit. Atque ille cum prioris Mercurii artes & inventa coluit & conformavit, libriſque quadraginta duobus humana divinaque omnia comprehendit, tum vel priores reſtituit leges, vel condidit novas. 3. Atque huic vulgò aſſignatur commentitius ac male ſartus ille Pimander. Porro ante paſtorum

col-

1. De nat. Deor. lib. 3.
2. Marsham. ſec. 1.
3. Clem. Alex. Strom. lib. 6.

colluviem, quae se in Ægyptum profudit, jus in tribus majoribus regionis illius urbibus reddebatur, Thebis scilicet, Memphi, & Heliopoli, quam a pastorum dominatione liberatam, Amosis, qui Regum Ægyptiorum primus Heliopoli praefuit, legibus munivit, & tribunal constituit ex triginta judicibus, quorum denos civitatum singulae dabant, de quibus unus caeteris & auctoritate in consiliis, & gratia apud Regem, & dignitatis insignibus praecellebat: etenim e collo catena suspensam aurea gerebat veritatis imaginem gemmis ornatam; 1. cunctisque judicibus in consilio leges omnes octo descriptae libris proponebantur. Horum leges & instituta Pythagoras transtulit ad Crotoniatas. Hinc e Magna Graecia, ubi divinae ille locavit ac humanae fundamenta sapientiae, facta sunt civilis doctrinae jurisque divortia, legesque ab ejus discipulis ad finitimos populos traductae fuerunt e Pythagorica schola: quorum celeberrimi sunt duo, Carondas (quem plerique Thuriis leges tulisse volunt) & Zaleucus, qui Locorum regimen constituit: ac ambo sanxerunt, ut qui leges proponerent novas, capite plecterentur, nisi le-

1. Diodor. lib. 1. pag. 48.

legibus ſuis univerſorum civium utilitati conſulerent; ac Zaleuco non mortuo tantum, ſed & vivo, atque videnti, cives mactarunt victimas, & oraculi juſſu divinos honores habuerunt, ſicuti Scythae Zamolxi eorum legislatori, Pythagorae ſervo, qui dominum in Ægypti peregrinatione ſequutus, quos inde arripuit ritus, & inſtituta tranſtulit ad ſuos.

Tarentinis Architas leges condidit, Parmenides, & Zenon Eleatis. His conſimiles legislatores prodierunt: Eudoxus, a quo Gnidii, Androdamus Rheginus, a quo Chalcidenſes, qui ſunt in Thracia. Verum legumlatorum omnium celeberrimi & prudentiſſimi fuere Phoroneus Inachi filius, Graecorum Regum antiquiſſimus, a quo exuti feritate, & in urbem coacti, & legibus fuerunt inſtituti atque educati: Minos, Lycurgus, & cum Dracone Solon.

Minos (Gnoſſium intelligo, non eum qui Apolloniae regnavit, ut ex Platone Strabo & Valerius Maximus colligunt) nono quoque anno Jovis antrum ſubire ſolebat, unde prodiens, decreta & leges in eo ſeceſſu conditas, Jovis nomine, proponebat; unde Homero ἐννέωρος Διὸς μεγάλα ὀαριστής dicitur, & Platoni in Minoë: φοιτῆσαι εἰς τὸ ἄντρον

τοῦ

τῶ Διός. Lycurgus in Cretam profectus Minoïs instituta cognovit, & eorum multa in suas transtulit leges, quas Lacedaemoniis promulgavit; ac ne suum ei numen deesset, eas Apollini assignavit. Quas leges utpote non tam ad urbanitatem, quam ad militum ferociam institutas, Plato & Aristoteles agrestes censuerunt, & asperas. Athenae vero, qua ex urbe omnis fluxit humanitas, & morum atque sermonis elegantia, post ejectos Reges diuturnis jactatae seditionibus, necdum firmis radicibus in popularí statu constitutae, ac praeter paucas, quas tulerant Reges, nondum certis legibus illigatae, acceperunt eas a Dracone, qui auctoritate magis, quam legibus suis civibus imperavit. Siquidem jus ab eo conditum propter nimiam severitatem ad feritatem deflectebat, ac minime congruebat humanae imbecillitati naturae, quam ille voluisse videtur extinguere, cum vel minima crimina maximis exaequaret, quas leges ipsa severitas relaxavit. Cum etenim vel leviter errantibus poenam capitis minarentur; levibus autem erroribus vel sapientissimi sint obnoxii; nemo tuebatur id, quod omnibus erat aeque formidandum: ideo per se concidit, quod neque populi, neque ul-

ullius magiſtratus auctoritate fulcie-batur.

Quippe malum Draco non tam ex magnitudine facinoris, quam ex vitiato peccantium animo aeſtima-bat, ac ex omni vitio quodlibet ma-leficium oblata facultate putabat eru-pturum, quae fuit ratio Stoïcorum. Quaerenti autem cuidam cur omnibus delictis capitale ſupplicium ſtatuiſſet? reſpondit, ſe delictorum vel minimum morte dignum judicare; ad maxi-ma vero nullam poenam invenire, morte majorem: Τὰ μὲν μικρὰ ἀδικήμα-τα θανάτου ἄξια νομίζειν. τοῖς δὲ μεγάλοις οὐκ ἔχειν μείζονα ζημίαν.

Hinc & otium poenae obſtrinxit, exemplo forſan Ægyptiorum, a qui-bus Solonem hanc tranſtuliſſe legem in ſuas Herodotus tradit: nempe ut ſinguli ſuum vivendi genus apud ma-giſtratus profiterentur; cum legem Pollux *De otioſis* Draconi tribuat, qui ante Solonem leges tulit, ac a Solo-ne otii tertio damnatum infamia pu-niri ſcribat. Certe Solon Areopago negotium dedit, ut viderent quod quiſque vivendi genus inſtituiſſet, & in eos, quos otioſos offendiſſent, ani-madverterent. Theophraſtus verò τὸν τῆς ἀργίας νόμον, *legem de otioſis*, Pi-ſiſtrato aſſignat. Caeterum propter ea-

earum ſeveritatem Draconis leges natae dicebantur a ſanguine.

Quas tandem novis conditis legibus abrogavit Solon, poſtquam ab Athenienſibus Archon non ſorte, ſed ſponte fuit conſtitutus. Iſque cum Remp. 1. accepiſſet inteſtino morbo laborantem, & adhuc veterum ſeditionum reliquiis periclitantem, relictis magiſtratibus penes divites, in quibus antea conſtiterant, cenſum civium egit, ordines deſcripſit, & pro tributa ſibi a populo poteſtate, magiſtratus, conciones, judicia, curias, numero, tempore, munereque diſtinxit, juraque cum privata, tum publica, ſuis legibus definivit, & ſenatum Areopagiticum, graviſſimum illum & pervetuſtum, conſtituit ex iis, qui annuum magiſtratum geſſerant, atque novem Archontibus, qui antea ſummi judices erant, nihil reliquit praeter examen reorum. 2. Senatum praeterea decretis ante comitia populi faciendis conſtituit e quatuor tribuum centenis, ut plebem ob remiſſum aes alienum ferocientem comprimeret. Utque Ariſtotelis teſtimonio concludam, Solonem, ait ille, ſenatum, & magiſtratuum electionem priſtinam mi-

1. Plutarch. in Solone.
2. Suid. verb. Ἄρχων.

minime ſuſtuliſſe ; ſed omnibus judicandi poteſtate tributa, populi tenuiſſe voluntatem. Itaque miſtum regimen inſtituit, quod deinde converſum eſt ad popularem ſtatum. Solon autem ſuas a Draconis legibus non re ſolum, ſed vocabulo quoque diſcrevit : appellatae namque ſunt Draconis leges θεσμοὶ, ſive ſanctiones, 1. vel, ut ab aliis exponitur, inſtituta : Solonis verò νόμοι, ſive leges. Eandem rempublicam poſtea Piſiſtratidarum tyrannide diſſolutam, iis expulſis, & novis additis legibus, compoſuit Cliſthenes, & ſecundum hunc leges aliae conditae ſunt, Ariſtophane, Diocle, aliiſque rogantibus ; aliae a Demetrio Phaleraeo cum rerum potiretur Athenis. Primis autem legum Atticarum auctoribus adjicit Suïdas, Æſchylum, & Thaletem.

Ex Athenienſium autem legibus magnam partem manavit Jus Romanorum, in quo verſamur ; quamvis non tralatitio, ſed ſuo proprio ac peculiari jure urbs fuerit uſa ſub Regibus, a quibus de ſacris, & de publico privatoque jure latae ſunt leges : nempe a Romulo, Numa, & Servio Tullio. quorum primus naturae jus extulit, ac educationis liberorum, matrimonii, & pa-

1. Ælian. Var. hiſt. lib. 8. cap. 10.

& parentum jura ſtabilivit: alter jus gentium expreſſit, ac de homicidiis, de bonae fidei contractibus, de ſepultura, leges aliquot promulgavit, praeter ritus & caerimonias, & ſacrorum religionem, quae fere omnis ab ejus inſtitutione profluxit: poſtremus majorem operam ad Jus civile contulit, & de contractibus, ac delictis quinquaginta rogavit leges 1. item & de foenore, de nexis, & de aere alieno. Quae omnia in unum volumen contulit Sext. Papirius, unde jus Papirianum, de quo librum conſcripſiſſe Gravium Flaccum, auctor eſt Paullus juriſconſultus 2. Quod jus exactis Regibus exolevit. Immo lege Terentia fuiſſe abrogatum, Hothomanus 3. ex Pomponio ſcribit. Joſephus vero Scaliger putat leges regias minime fuiſſe ſublatas, ſed conjectas in tres priores XII. Tabularum, quam conjecturam auctoritate tuetur Livii 4. *Foedera* (inquit) *& leges* (*erant aereae* XII. *Tab. & quaedam regiae leges*) *conquiri, quæ comparerent juſſerunt*. Hinc Caroli Sigonii judicium probo, qui L. Bruto trib. Celerum ferente, cenſet eas tantum

1. Dionyſ. Halic. lib. 4.
2. Leg. 144. De verb. ſignif.
3. Obſerv. lib. 1. cap. 1.
4. Lib. 6.

tum ſublatas, quae ad regiam dominationem ſtabiliendam pertinebant.

Et Marcellus 1. lib. 28. Digeſt. tradit, ex lege regia deſcendere, ut non ante humetur mulier praegnans, quam partus exſcindatur. Verum creſcente in dies numero civium, exundante negotiorum copia, & vi atque injuria pro natura multitudinis aeſtuante, prudentiores nova morborum ſemina, novis opprimenda conſiliis cenſuerunt. Cumque ſolis moribus, & repentinis, ut ita dicam, legibus populus regeretur; fixo & perpetuo jure componendam, ac in poſterum firmandam rempublicam exiſtimarunt. Cum igitur C. Terentius Arſa trib. plebis, ut conſulum in plebem immoderatam poteſtatem imminueret, legem promulgarit de quinque viris, qui leges conſulari imperio perſcriberent creandis, eaque deliberatio variis contentionibus per decennium extracta fuerit; & poſt impetratam duplicandorum tribunorum plebis poteſtatem intermiſſa; revixit tandem Romilio, Veturioque Coſſ. in plebem Romanam, quae militiam detrectabat, impotentius dominantibus. Hinc anno ab u. c. CCC. Spurio Tarpejo & A. Terminio Coſſ. res ad ſenatum delata eſt,

1. Leg. 2. ff. Mort. infer.

est, & ex sententia P. Romilii factum senatus-consultum (quod deinde fuit plebiscito confirmatum) ut tribus triremibus, pro majestate Imperii Romani magnifice instructis, legati per Italiam & universam Graeciam petitum leges mitterentur: creatique sunt Sp. Postumius, Sext. Sulpicius, A. Manlius: qui utiliores civitatum singularum, ac Athenienſium potissimum, leges descripserunt 1. nonnullas a Lacedemoniis fuisse sumtas, Athenaeus 2. & Ammianus Marcellinus 3. & Tribonianus 4. tradiderunt. Igitur leges in urbem delatas Decemviri, ad quos jussu populi earum componendarum potestas, & consulum, atque magistratuum auctoritas omnis redacta erat, in decem Tabulis digesserunt, partim integras, quales acceperant, partim emendatas, & ad urbis mores populique consuetudinem conformatas, adhibito in consilium Hermodoro Ephesio, in Italia tum temporis exsulante, qui Romanis ejus legationis auctor fuit, quemque plurimum ei negotio contribuisse, ac aliquas etiam leges Romanorum condidisse,

1. Cic. lib. 2. De legib.
2. Lib. 6. in fin.
3. Lib. 16.
4. Instit. De jur. natur. gent. & civ. §. ult.

disse, accepimus a Strabone. Quo pertinet omen illud Heraclyti, qui ad Hermodorum scribens, speciem sibi ait oblatam in somnis orbis universi venerabundi, & ad illius leges, Persarum more compositis ad osculum labiis, procumbentis. Ὄναρ ἐδόκων, τοῖς σοῖς νόμοις τὰ παρὰ πάσις τῆς διχαμένης διαδήματα προτιέναι, καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐκλείοντας τὸ στόμα, προσκυνεῖν αὐτούς.

His autem tabulis publice propositis, facta unicuique objiciendi & corrigendi potestate, posteaque omnium consensu probatis, ut corpus integrum Romani Juris absolveretur, duas Decemviri adjecerunt, factoque senatusconsulto, captis auspiciis, accitis Pontificibus & auguribus, comitiis centuriatis leges universi scíverunt. Quod Jus ad omnium notitiam & utilitatem aeneis incisum tabulis fuit, & in foro, jussu populi, collocatum. Mos hic incidendarum legum descendit a Corybantibus, qui columnis insculpere leges docuerunt, ut refert Theopompus. Solon 1. in ligneis incidit tabulis, quas ἄξονας καὶ κύρβεις appellarunt: cum ante tabularum usum ediscerent populi leges, & frequenti cantu eas memoriae 2. mandabant.

1. Vide Petit. ad leg. Attic. in princip.
2. Arist. problem.

darent. Quamvis autem Pomponius XII. Tab. eboreas (quae lectio est Florentini codicis) sive, ut fortasse legendum est, roboreas fuisse scripserit; tamen id de iis accipiendum est tabulis, quae populo emendandae, non de iis, quae in perpetuum observandae propositae fuerunt; nisi vel Triboniani audaciae hujus loci vitium assignemus, vel Pomponium adversus omnium veterum auctoritatem loquutum esse faciamus. Id autem Jus cum propter miram verborum proprietatem, atque brevitatem sane concinnam, tum propter summam aequitatem, atque prudentiam, rerumque pondus & majestatem, universam continere sapientiam, ac omnium philosophorum doctrinam gravitate superare putabatur. 1. Hujus Juris fragmenta complures antiquitatis, & juris civilis studiosissimi diligenter vestigarunt, ac e variis scriptoribus eruta, in antiquum ordinem, prout conjectura ferret, tribuerunt: omnium autem diligentissimam his colligendis, disponendis, ac interpretandis operam navavit Jacobus Gothofredus, cujus ordinem atque judicium nobis dum in his versabimur, merito proposuimus.

Pri-

1. Cic. De orat.

Prima Tabula rationem instituendi judicii tradebat, cujus primum caput: *Si quis in jus vocat, atque eat*, veluti solenne carmen, vel pueris in ore fuisse scribit Cicero 1. ac in jus vocatum confestim sequi jubebat. Haec ampla definitio pluribus exceptionibus a praetore circumscripta fuit. Ex multis quas huic capiti attexuit Cajus, duae 2. supersunt: altera, Ne quis de domo sua: altera, Ne impubes 3. puella alieno juri subjecta in jus vocetur. Cum quis autem in jus vocatus sequi nollet, tum actor eos qui aderant testes vocabat: quod *antestari* dicebatur, sive *ante testari*; vel ex *am*, quod *circum* prisce significat, eos testari qui circum sunt, praehensa auricula, adjectoque hoc verbo: *Memento*: & si fugeret reus, vel obniteretur; tum actor injecta manu eum in jus obtorto collo rapiebat, eaque *manus injectio* dicebatur. Qui mos omnis ex Athenienſium jure descendit. Exemplum enim exstat apud Aristophanem in Vespis de antestatione, & de manus injectione, in comoedia palliata Apollodori, a Terentio conversa, quae inscribitur Phormio.

DE.

1. Lib. 2. De Legibus. Cujac. lib. 7. cap. 16.
2. Leg. 18. ff. In jus vocand.
3. Leg. 22. ff. In jus vocand.

DE. *In jus eamus*. PH. *In jus? huc, si quid lubet*.

DE. *Adsequere, ac retine, dum ego huc servos evoco*.

CH. *Etenim solus nequeo: accurre huc*.

PH. *Una injuria est*. *Tecum*. CH. *Lege agit*. PH. *Altera est Tecum Chreme*.

DE. *Rape hunc*.

Et apud Lucianum in δικαστηρίοις. Ἔπου μιαρὲ πρὸς τὸ δικαστήριον. Μὴ ἄγχε με. *Veni sceleste in jus. Ne me strangules*.

Secunda Tabula, cujus primum caput intercidit, & de judiciis erat, ac, ut ex 2. cap. conjicere licet, agebatur de judicio constituendo, & dandis vadibus, qui fidei-jussores erant rei judicio sisti; & subvadibus, qui actoris fidei-jussores erant: ac de committenda poena, si judicium deseretur, quae Athenienſium lege mulcta erat decem drachmarum, quam legem laudat Ulpianus ad Demosthenis Midianam: quae poena legitimis excusationibus evitabatur; unde aliud caput de justis vadimonii deserendi caussis conceptum est: cujus verba retulit Ulpianus, ubi propter judicis 1. aut reorum morbum sonticum judicii dies diffinditur, sive proditur, differtur: item & propter publica vota.

1. Leg. 2. §. 3. ff. Si quis caution.

Quamvis enim Cajus 1. vota tantum commemoret de ſalute principis, de quo nulla in XII. Tabulis eſſe mentio potuit ; tamen credendum eſt caput XII. Tab. de votis pro reipublicae ſalute ſuſcipiendis in principem, ut ſua tempora ferebant, a Cajo eſſe converſum.

Publica etiam utilitas excuſabat eum qui aberat reipublicae cauſsa. Huic attexit Gothofredus tractationem de furtis. Ac incendiarium furem, ſi ſe telo defenderet, XII. Tabul. occidi voluerunt impune: nocturnum autem poſt imploratam populariumfidem, quod *quiritare* dicebatur, quoquo modo interfici permiſerunt, quod etiam fuit e Solonis lege deductum: εἰδέ τις νύκτορ ὀτιῶν κλέπτοιν, τὸν ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι. *Si quis de nocte furetur, licere eum occidere.* Ac ſicuti Solonis lege balinaeorum fures gravius puniebantur, & ſi decem drachmas excederent capite plectebantur; ita & turpius notabantur apud Romanos. Catullus:

O furum optime balneariorum.

Ad eandem tabulam pertinet titulus *ff. Arborum furtive caeſarum*, quam actionem ex legibus XII. Tab. deſcendere Paullus ſcribit l. 1. eod.

Ter-

2. Leg. 233. ff. Verb. ſignif.

Tertia Tab erat de rebus creditis, & ex causa depositi actionem dabat in duplum, usuras ad unciam coërcebat: nam ex sententia Catonis, *foenerari est hominem occidere*. Quae lex e Romanis tantum profluxit moribus, minime vero ex Athenienſibus, ex quibus nullus erat usurarum modus, nisi quem contrahentium lex posuisset. Peregrinos perpetuata civibus actione a jure usucapionis arcebat: ei qui vel debitum confessus, vel in judicio damnatus esset, triginta dies ad pecuniam contrahendam, & judicatum faciendum praestituebat: eumque permittebat actori vel vinciendum, *vel in privatum carcerem conjiciendum*, ex quo nexorum nomen ortum est, vel pluribus creditoribus addictum tertiis nundinis, sive vigesimo septimo die, pro cujusque portione secandum, *vel trans Tyberim venundandum*.

Quarta Tabula progrediebatur ad jus patrium, quod apud Romanos prae caeteris gentibus erat imperiosum. Siquidem lege regia Romulo adscripta, deinde in XII. Tab. conjecta, patri jus erat in filio vitae & necis, atque adeo venundandi, ita ut semel atque iterum venundatus, in patris potestatem recideret, nec ante

tertiam manumissionem naturalem libertatem legibus ademtam recuperaret. Quod jus quamvis scriptores fere omnes a Romanis arcessant; tamen repeti posset altius, ac ex parte saltem ab Atheniensibus, apud quos non lege quidem, sed moribus ante Solonem obtinuerat, ut patri jus esset vendere filium: quod tradit Plutarchus in Solone [1]: a quo ademta patri potestas est vendendi filiam, nisi fortasse in stupro deprehensam. Eadem Tabula pater cogebatur recens natum infantem insignem ad deformitatem confestim necare; isque legitimus constituebatur postumus, qui decem mensibus proximis natus esset.

Quinta pertinebat ad testamenta, & legitimas successiones, eaque liberam cuique tribuebat potestatem super re sua testandi, sive (quod idem apud veteres valebat) legandi. Quod caput priscae locutionis ignoratione depravatum restituit ex Pandectis Pisanis Cujacius, qui pro: *super pecunia tutelaque rei suae*, reposuit: *super pecuniae tutelaeque rei suae*, sumto secundo pro sexto casu, more Graecorum, quem adhuc veteres illi ex linguae cognatione retinebant.

Latissima haec ex XII. Tab. induc-

ta

1. Vid. Petit. Ad II. Atticas lib. 1, tit. 5.

cta testandi facultas sequentibus temporibus variis praecisa legibus fuit, quas exponemus latius in secundo *De originibus* libro, ac earum praecipua erat lex Furia *De testamentis*, quae praeterquam certis personis, vetabat cui supra mille asses legare, vel mortis caussa donare. Voconia *De mulierum haereditatibus*, ne qui census esset, sive centum millia sextertium possideret, virginem aut mulierem supra quadrantem institueret, plusve legaret, quam ad haeredes transmitteret. Velleja, quae rationem tradidit exhaeredandi, aut instituendi nepotum. Ælia Sentia, quae nisi certis conditionibus, aut intra certum numerum, manumissiones testamento fieri vetabat. Papia, quae pluribus capitibus jura testamentorum immutavit, ac facultatem testantium coërcuit, orborum praecipue ac cœlibum: cum ea lex incitandis nuptiis lata fuisset. Falcidia, de quarta per haeredem detrahenda. Quibus omnibus, praeter Falcidiam, Justiniani lege sublatis, jus XII. Tabulis plane revixit. Hac etiam Tabula suus natura haeres non constituitur lege, sed tantum significatur: propterea quod naturalis ratio, ut Paullus ait, quasi quaedam tacita lex, liberis parentum hae-

reditatem addiceret 1: atque hinc *ſuorum* nomen eſt ortum in jure civili. Poſt ſuos haeredes familiam ſive agnatos vocabat, poſt agnatos gentiles, quorum deinde jus exolevit. Romani enim gentem & familiam retinebant. Ex gente plures familiae, ut ex Cornelia Lentuli & Scipiones: ex familia plures domus, ut ex familia Ciceronis domus duae, Quinti, & Marci: ſinguli autem communi gentis & familiae appellatione conjuncti praenomine diſtinguebantur. Cum ſucceſſionibus Decemviri tutelae quoque jura, & curam furioſorum conjunxerant: contra quam conſtituerat Solon, qui noluit pueros fraudibus eorum permittere, qui agnationis jure ad pupillorum haereditatem vocabantur; ne lucri cupiditas agnatorum animos ad necem 2. pupilli converteret; cum Athenienſibus, aeque atque Romanis tutela jus eſſet & poteſtas in capite libero: unde Æſchines ἐν τῷ κατὰ τιμάρχου eos vocat παίδων κυρίους, *puerorum dominos*. Praeterea libertorum bona, ſi ſine liberis obiiſſent, patronis eorumque liberis, item & tutelam, detulerunt, & obligationes haereditarias inter haeredes pro por-

1. Leg. 7. ff. Bonis damnator.
2. Petit. ad ll. Attic. lib. 7. De tutel.

portionibus haereditariis ipso jure divisas esse jusserunt, capite *De ercto cito*, erctum est 1. indivisum, coërcitum: quod a coërcendo dictum voluit Festus. Huic affinis est Graeca vox ἐρκίζειν: *citum* autem Donatus exponit divisum, ac deducit a *ciendo*: ex quo capite prudentum interpretatio collegit legatarios haereditariis creditoribus minime teneri, cum lex XII. Tab. solos haeredes huic oneri obstrinxerit 2.

Sexta rationem dominii transferendi tradebat. Dominium enim jure civili nonnisi certis adhibitis solennitatibus & formulis in alium transibat. Et quoniam mancipii sive dominii jure non censebantur, nisi res quae, ad manum essent, vel Italica praedia (provincialia enim, utpote obnoxia tributis, & publico devincta jure, propria civium Rom. non erant) res mancipi Decemviri voluerunt in alterius dominium pervenire, vel mancipatione, sive venditione quadam imaginaria, libripende adhibito, & quinque testibus, civibus Romanis puberibus, vel in jure cessione apud magistratum P. R. Praetorem, aut Praesidem provinciae, dicente illo

1. Salmas. in Solin. pag. 1261. & seq.
2. Leg. ult. C. Haereditar. action.

cui ceditur: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo*, quibus verbis eum sibi vindicabat: ac Praetore interrogante illum, qui cedit: *an contra vindicet?* quo tacente, aut negante res addicebatur; vel usucapione per legem XII. Tab. inducta, *ut usus auctoritas fundi biennium, caeterarum rerum annuus usus esset*. Unde qui bona fide emerat, biennio rei immobilis, anno mobilis dominium jure civili nanciscebatur; ut etiam si vir muliere ingenua integrum usus esset annum matrimonii caussa, eam sine nuptiarum solennibus, usu tantum, ut & res alias mobiles, faceret suam, nisi a viro trinoctium abfuisset: quo spatio usurpabatur, sive interrumpebatur legitimus usus 1. Caeterum *usucapio* idem est, ac *usus auctoritas*, nempe jus legitimi dominii usu quaesitum. Nam ante Justinianum nuda traditione dominium rerum mancipi minime transferebatur, nec ejusdem dominii communio ulla esse poterat cum hoste, sive cum peregrino, quem veteres *hostem* vocabant: unde per hanc Tabulam adversus hostem, & de re furtiva, aeterna erat auctoritas: sive nec usucapi ab ullo

res

1. Gell. lib. 3. cap. 2. Cujac. ad leg. 2. ff. Usucap. & usurp. sive ad lib. 54. Paulli ad edict.

res furtiva, nec usucapere quicquam peregrinus poterat, hujus enim juris cives Romanos tantum leges participarunt. Et quoniam res emtori tradita sine his juris civilis solennitatibus venditoris & emtoris erat in solidum; ideo venditor quiritarius, emtor bonitarius dominus appellabatur, quod discrimen dominii fuit a Justiniano sublatum 1.

Per mancipationem autem res mancipi tantum abalienabantur: in jure vero cessione res etiam nec mancipi 2. sive possessiones praediorum vectigalium & tributariorum, quorum proprietas sive mancipium penes populum Romanum erat; ideo a privatis per mancipationem transferri non poterant; sed tantum per cessionem in Jure: quarum rerum ususfructus & possessio transferebantur eodem statu, quo erant apud priorem dominum. Mancipatio vero a nexu hoc differt, quod quaelibet mancipatio nexu constat: quod autem nexu fit, non continuo dicitur mancipatio. Multa enim nexu expediuntur, nec tamen mancipari dicuntur, nempe pignorum obligatio, testamenti factio 3. &

1. C. De nudo jur. Quirit. tollend.
2. Revard. Ad ll. xii. Tab. hoc tit.
3. Revard. ibid. tit. De mancipat.

quicquid geritur per aes & libram: quod omne nexus nomine comprehenditur. Igitur quicquid expressum in mancipatione fuisset, & nexu Decemviri a venditore praestari voluerunt.

Jurisconsulti vero ex legis mente praeter ea, quae venditor expressisset, si quae praedii vitia reticuisset, pro eorum aequitate praestanda censuerunt 1. Agebatur & hac Tabula de vindiciis, quae lites erant de possessione, ut sacramenta de proprietate. Vindiciaque vocabatur fundi gleba e praedio ad Praetorem delata. Initio enim litigatores conserta sive correpta manu ex jure simul cum Praetore ad praedium, de quo erat controversia, proficiscebantur in rem praesentem; sed cum in dies Praetor majoribus occupationibus distringeretur, nec posset his, ut antea, vacare; tantum litigatores ex jure in praedium contendebant, indeque glebam evulsam quasi fundi simulacrum in jus Praetori ferebant, ut ejus esset fundi possessio, cui glebam Praetor addiceret. At ne his supervacaneis actibus judicia impedirentur, excogitata fuit a jurisconsultis imago quaedam priscae profectionis, & verborum

1. Cic. in Topic. Revard. Ad II. XII. Tab. cap. 16.

rum ſolennitas, ut verbis deinceps redderetur quicquid facto antea praeſtabatur: cujus haec erat formula: *Fundus qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, ego eum ex jure meum eſſe ajo: inde ego te ex jure manu conſertum voco.* Citatus vero reus reſpondebat: *Unde tu me ex jure manu conſertum vocas, inde ego te revoco.* Tum Praetor: *Utriſque ſuperſtitibus praeſentibus iſtam viam dico: inite viam.* Hic aderat qui diceret: *Redite viam.* In qua formula Cicero pro Muraena mirifice cavillatur. Tignum praeterea, cujus nomine venit omnis materia ad fabricandum idonea, junctum concapi (ut Gothofredus reſtituit) ſive vindicari & ſolvi, haec Tabula minime permittebat, aedificiorum & vinearum conſervandorum gratia; ſed adverſus eum qui alienum junxerat, actionem dabat in duplum. Viris ad repudium uxorum cauſsam addendam praecipiebat. Nec tamen jure repudii Romani ſunt uſi niſi ſexcenteſimo demum anno poſt urbem conditam, ut Tertullianus libro *De Monogamia* ſcribit, primumque divortium a Sp. Carvilio factum fuiſse Dionyſius tradit. 1.

Jus repudii erat etiam apud Athe-

1. Lib. 2. Vid. Cujac. 1. obſerv. 39.

nienſes. Hoc tamen intererat, quod apud Romanos, quantum ex auctoribus conjicere licet, in ſolo viro poſitum erat nuptias diſſolvere, idque addita cauſsa. Apud Athenienſes vero utriuſque erat arbitrium. 1.

In ſeptima Tabula delictorum poenae deſcribebantur: eaque illatum damnum vel paſtu pecoris, vel a quadrupede feritate commota reficiebat: aut enim aeſtimationem damni praeſtandam, aut quadrupedem noxae dandam imperabat, ut de cane, qui momorderat Solon conſtituerat: ſanxit enim ut quatuor cubitorum catena vinctus noxae daretur. Praeterea fruge furtim paſta vel ſecta, facinoris auctorem Decemviri ſuſpenſum, Cereri necandum juſserunt. Impuberem Praetoris arbitratu verberandum, noxam duplione luendam. Frumentum in aedibus, vel ad aedes poſitum, ſi alicujus opera conflagraſset; eum qui ſciens prudens commiſiſset verberatum igni necandum: ſi caſu id eſset factum, noxam ſarciendam: ſi non eſset idoneus, levius caſtigandum 2. Oris autem percuſſionem viginti quinque aſſibus mulctandam. Unde ſceleſtiſſimus quidam ſervum pecunia one-

1. Petit. lib. 2. ti t. 3. Ad leg. Atticas.
2. Leg. 9. ff. In c end. ruin. naufrag.

oneratum ducens, ut quisque fieret obvius os percutiebat, praesentique pecunia se judicio liberabat. Ideo ne levitate poenae lex contemneretur, mulcta haec exolevit, & graviori cessit: injuriis enim aestimandis postea recuperatores a Praetore dabantur. Sequitur frugum incantatio. Cum enim veteres illi, omnium bonarum artium & disciplinarum rudes, putarent fruges carminibus magicis vel averti posse, vel traduci (ut enim Tibullus ait,

Carmen vicinis fruges traducit ab agris.)

ideo Decemviri pro sua puerili ac ridicula superstitione sanxerunt, ut qui fruges *excantassit*, sive carminibus magicis crescere prohibuerit, aut segetem alienam pellexerit, Cereri sacer esset.

Famam quoque alienam legibus tegere Decemviri voluerunt. Nihil enim iniquius putarunt quam civium nomen permittere scurris, nebulonibus, ac poëtastris, quibus optimi cujusque virtus est invisa: ideo fuste feriri, sive ad necem caedi 1. voluerunt eum qui pipulo, id est convicio, *occentassit*, sive obstrepuisset, carmenve condidisset, quod infamiam faxit flagi-

1. Leg. 7. §. 1. ff. Ad leg. Aquil.

gitiumve alteri 1. Nam praeclare Tullius in libris *De republica* apud Divum Auguſtinum 2. *Judiciis & magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis, habere debemus; nec probrum audire, niſi ea lege ut reſpondere liceat, & judicio defendere.* Qua ratione apud Athenienſes cum auctores veteris comoediae ſumma conviciorum libertate, nullo boni malive diſcrimine, omnes inceſſerent, ac ne principibus quidem parcerent civitatis; lata lex primo eſt, ne magiſtratibus fieret in comoedia convicium: deinde vetitum ne quiſquam nominatim jocis & conviciis perſtringeretur. Eadem Tabula coërcebatur fraus tutoris adverſus pupillum duplionis multa, itemque patroni adverſus clientem, quod de Romuli legibus ſumtum fuit: iis enim jubebantur patres ſuſcipere plebejorum patrocinium. Conſtituit enim inter utroſque officiorum viciſſitudinem & mutuam gratiam: ut patricii plebejos de urbanis rebus admonerent, in judicio atque extra judicium praeſentes abſenteſque defenderent: contra plebeji patriciorum clientes eſſent, ac patronos ad col-

1. Jacob. Goth. hic.
2. Lib. 2. De civit. Dei cap. 9.

collocandas filias inopes, & aes alienum dissolvendum, vel ad eos ex hostibus redimendos proprio aere adjuvarent, honores & magistratus adeptos observarent, ac deducerent & reducerent: patroni vero qui clientem accusassent, aut contra illum suffragium testimoniumve tulissent, prodigionis erant rei, & tanquam praevaricantes, sacri erant Cereri, sive Cereri devovebantur; ut qui eos occidisset pie fecisse, ac infero Jovi hostiam mactasse putaretur. Quem enim Romani occidi volebant impune, hunc postquam alicui Deo devovissent, sacrum dicebant.

Testis, qui alicui negotio interfuisset, ac postea testimonium edere detrectasset, per hanc Tabulam intestabilis efficiebatur: & parricida, qui liberum hominem occidisset, malumve venenum propinasset, habebatur. Quique parentem necasset, insutus culeo, capite obvoluto in profluentem dejici jubebatur, exemplo supplicii, quo Tarquinius Rex affecit M. Tullium Duumvirum, qui librum de arcanis civilium sacrorum sibi ab Rege creditum, Petronio Sabino describendum tradiderat 1. Ibidem simiam, gallum gallinaceum, & vi-

pe-

1. Valer. Maxim.

peram includebant.

Octava Tabula jus praediatorium proponebat, ambitum parietis, sive iter quod circumeundo teritur, sestertio, nempe duobus & semisse, viae latitudinem octo pedibus in porrectum, sexdecim in anfractum, sive ubi flexum est, definiebat 1. Per viam immunitam jumentum agi permittebat 2. Aquae pluviae arcendae, item & glandis, cujus nomine fructus veniunt omnes, in vicini fundum delapsae, colligendae, atque arboris in proximum fundum ramis excurrentis pedes decem a terra altius coërcendae potestatem dabat. Finibus quoque regundis modum constituebat, exemplo legum Atticarum, quarum rationem diserte descriptam prodidit Cajus 3. & elicitur ex Cod. Theodos. 4. ubi ex legibus XII. Tabul. prohibetur usucapio quinque pedum confinibus fundis interjectorum. Est aliqua inter duos illos locos lectionis discrepantia, de qua seorsum alias disseremus. De collegiis etiam sancitum eadem Tabula erat, permissumque sodalibus, ut quam vellent sibi

1. Leg. 8. ff. Servit. rust. praed.
2. Cic. pro Caecin.
3. Leg. ult. ff. Fin. regund.
4. Leg. Quinque pedes. tit. Fin. regund.

sibi legem ferrent, dum ne publicis legibus adversaretur 1., quod e Solone translatum esse Cajus notavit.

Nona Tabula, quae de jure publico erat, ex Solonis etiam praescripto, privilegia sive leges in privatum irrogari, & de privato rogari vetabatur. Porro privilegii nomen alio trahitur a jurisconsultis quam in XII. Tabul. accipitur: quippe porrigitur ad leges eas, quibus aut juris civilis asperitas nova aequitate demulcetur, aut de certis personarum generibus aliquid novi lege constituitur. Praeterea de capite civis Romani nisi comitiis centuriatis per hanc Tabulam ferri minime licebat: ideo Quaestores parricidii constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent 2. Quorum in judicando fides pretio erat addicta, & in quorum judiciis non ratio, sed pecunia versabatur, his capitale supplicium erat hac Tab. denunciatum 3. Praeterea nexis ex quacumque caussa alteri, deinde solutis; item *forti*, sive qui semper in fide populi Romani steterat; & *sanati*, sive qui defecerat, deinde redierat in fidem, ejusdem juris communio con-

ce-

1. Leg. ult. ff. Colleg.
2. Leg. 2. §. 16. & 23. ff. Orig. jur.
3. Leg. 5. C. Theodos. ad leg. Jul. repet.

cedebatur. Quod & Athenis olim jus viguisse Plutarchus auctor est in Theseo. Πᾶσι τοῖς πολίταις τὰ ἴσα εἶναι.

In decimam Tabulam sacrum jus conjectum fuerat. Et primum omnium juramentorum religio constituebatur, in qua omnia Romana instituta nitebantur. Deinde subnectebantur jura sepulcrorum, omnia fere de Solonis petita legibus: veluti modus in sumtibus, quos Solon triduano decem hominum labore definierat 1. Idemque vetuerat quemquam in urbe humari: unde & Romanis extra urbem locus sepulturae dabatur, quod jus Theodosius 2. Constantinopoli servari voluit. Sumtuum quoque vitandorum gratia murratae potionis adspersionem, & servorum unctura, atque circumpotationem, & longas coronas, sive quae sepulcris advolvebantur (jam diu a servorum funeribus Solonis lege depulsas) & injectionem auri decima haec Tabula sustulit; nec plus tribus vestibus quadratis, quas ricinias vocabant, humari cum mortuo permittebat. Quod ductum fuerat e Solonis legibus: Μὴ τιθέναι πλέον ἱματιῶν τριῶν.

Muliebres etiam ejulationes, & mi-

1. Late Petit. Ad leg. Att. pag. 496.
2. Leg. 6. C. Theodos. De sepulcr. violat.

miſerabiles queſtus, lacerationemque genarum, & ploratus effuſos, quos *leſſum* vocabant, exemplo legum Atticarum, abeſse Decemviri voluerunt a funere. Spatium autem inter rogum buſtumque & aedes alienas tantum LX. pedes probaverunt. Ut ne forum, ſive veſtibulum ſepulcri, & buſtum uſucapione occuparetur, aeternam horum auctoritatem eſse juſſerunt. 1.

Per adjectionem XI. Tab. patribus cum plebe connubiis fuit interdictum: quodque poſtremum juſſiſſet populus antiquioribus praelatum legibus. Ex Tab. XII. prohibita fuit rei litigioſae conſecratio: & dupli multa ferebatur in malae fidei poſſeſſorem, tribus a Praetore rei definiendae arbitris datis 2. Servus qui ſciente domino furtum fecerat, damnumve dederat, noxalis fiebat 3. Atque haec fere ſunt germana XII. Tab. capita, quae ex corruptis atque ſemeſis verbis collegit Gothofredus, qui ea hoc deſcripſit ordine. Praeter haec adducuntur ab auctoribus alia, non germana illa quidem, ſed vel commentitia, vel conjectura conficta, & ad veteres earum ſententias a priſcis

1. Cic. De leg.
2. Feſtus in verb. Vindic.
3. Leg. 2. §. fin. ff. Nox. act.

ſcis ſcriptoribus proditas accommodata : de quibus in latioribus *Originum* libris, ſi vita ſuppetet, fuse diſputabimus.

Propoſitis autem XII. Tab. jus quidem patebat omnibus; at uſus illius, & ratio qua quiſque ſuum perſequeretur, a populo ignorabatur. Quamobrem inventi ſunt qui leges redderent actuoſas, & tractandi juris inſtrumenta, ex arcana diſciplina depromta, civibus miniſtrarent. Unde conſtituti ſunt a prudentibus certi quidam juris exercendi ritus, quorum ſolenniores, legis actiones vocarunt: certiſque verborum conceptionibus, quas formulas appellabant, cujuſcumque contractus vim & actus omnes exceperunt. Romani enim a primo rudes, quicquid agerent certis fignis, atque verbis mentem circumſcribebant; quaſi nihil ſatis expreſsum foret & conſtitutum, niſi certis ſignis & verbis eſset adſtrictum & obligatum. Qua religione uſque eo tenebantur, ut nihil juſtum ratumque haberent, niſi quod ſuis eſset ritibus expeditum. Unde 1. in ſponſalibus ferreum annulum dabant: in contrahendis nuptiis aquam & ignem adhibebant, ſine quibus non fuiſse matrimonium

1. Hothom. Obſerv. lib. 10. cap. 6.

nium colligitur ex Scaevola 1. Putabant enim veteres, ut Varro 2. tradit oriri ex aqua & igne vitam, iisdemque foveri. Unde quem omni prorsus civili vita privabant, ei, tanquam e vivis sublato, aqua & igni interdicebant.

Uxori domum deductae, tanquam domina constitueretur, claves tradebantur 3: repudiatae, tanquam dominio spoliaretur, adimebantur 4. Novum opus solenni jactu lapilli nunciabatur. Liberis emancipatis & servis manumissis colaphos infligebant, eosque circumagebant: unde Persius:

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Usucapionem arboris furculum defringentes interrumpebant 5: quod usurpare dicebatur. Solennitatem, quae ad mancipationes adhibebatur, supra demonstravimus. In auctionibus qui pluris liceret digitum tollebat 6. In haeredis institutione testator annulum hae-

1. Leg. penult. ff. Donat. inter vir. & uxor. Cujac. lib. 11. observ. 2.
2. Lib. 4. De ling. Latin. ubi Joseph Scal. Et notat Goth. ad leg. penul. ff. Donat, inter vir. & uxor.
3. Plutarch. in Problem.
4. Cic. Philipp. 2.
5. Cic. 3. De orat.
6. Cic. Verr. 3. &

haeredi tradebat 1. Pignori res dabantur contracto pugno: ex quo apparet pignus esse proprie rei mobilis quae manu 2. traditur. Mandatum dabatur exporrecta manu. Hinc quasi manus datio, *mandatum* 3. Stipulabantur autem stipulam tenentes; fractamque redintegrantes, sponsiones quisque suas agnoscebant. In haereditatis aditione digitos percutiebant; quod pluribus locis tradit Cujacius: idque videtur Cicero significare quum ait lib. De offic. *Si digitis concrepuerit, possit in locupletum testamenta nomen ejus irrepere.*

Hanc autem Pop. Rom. superstitionem in rem suam vertere prudentes, ac singulorum actus & voluntates sibi devinxerunt solennibus verborum conceptionibus & formulis, quibus populum habebant obnoxium: cum nihil agere petereve liceret, nisi consultis prudentibus, a quibus ratio, & dies exercendi judicii erat efflagitanda. Et quoniam ad exercitium legum, & Juris ministerium compositae fuerant, actiones legis dictae sunt, & actus legitimi, quibus jus civile XII. Tabulis affixum & consignatum de-

fe-

1. Valer. Max. lib. 7. cap. 9. Corn. Nep. in Eumene.
2. Leg. 238. ff. Verb. signif.
3. Isidor. lib. 5. Etym. cap. 34.

ferebatur in forum, & ex umbra in campum atque aciem perducebatur: eaque altera post XII. Tabul. juris civilis portio fuit. Erat videlicet in XII. Tabulis mentio manus consertionis & mancipationis: horum autem ritus & formulas, sicuti & caeterorum, prudentes excogitarunt, & in Pontificum condidere penetralibus. Pontifices enim non modo consequentibus temporibus suscepti sunt e media jurisprudentia; sed initio reipublicae auctores fuerunt atque custodes juris civilis: cujus interpretatio e Pontificum collegio profluebat: quandoquidem eorum unus operam dabat juri privato civibus suis interpretando, cum reliqui religioni praeessent 1. Unde in eorum penetralibus legis actiones, & formulae compositae a prudentibus asservabantur, antequam populo proderentur a Gn. Flavio, App. Claudii scriba, qui fastus etiam proposuit toto foro, ut pateret omnibus quando lege agi posset. Quae postquam sunt evulgata, jurisconsulti ad suum ingenium & vetus artificium redierunt, ac tum veteres, tum novas, quas condebant, formulas brevibus notis, sive singulis, aut binis literis, integrum verbum designantibus contra-

1. Cujac, ad leg. 2. ff. De orig. jur. §. His legibus.

traxerunt. Consequentibus enim temporibus alias fuisse pro negotiorum varietate ab iisdem editas formulas, colligitur ex Valerio 1. a quo accepimus Triumviros proscriptione sua opes vel adimentes veris dominis, vel adjicientes alienis, impetrare non potuisse a Cascellio jurisconsulto, viro integerrimo, ut formulas componeret, quibus novas bonorum addictiones tueri possent, ac ad juris civilis rationem accommodare. Formulas igitur brevibus illis notis adstrictas & obsignatas cum nemo explicare posset praeter eorum auctores jurisconsultos; hinc eos singulis civium negotiis interesse oportebat: nec quicquam, sine illorum auctoritate atque consilio, suscipi conficique fas erat. Et quoniam singulis interpunctionibus & literis aucupandis irrepere facile poterat error aut dolus; ideo Constantinus, ut captiones recideret, formulas sustulit. Omnesne ac in perpetuum, an potius cum contractae atque obscuratae notis essent? Sane Constantinus tantum notarum captiones, non ipsas formulas reprehendit 2. Ex quo Revardus, contra quam interpretes caeteri censuerunt, colligit mansisse illa quae integris

1. Revard. De auct. prud. cap. 2.
2. Leg. 1. C. Form. & impetrat.

gris productae literis essent. Recte ille quidem, si ostenderet alias exstitisse formulas verbis descriptas integris. Quin si scribendi rationem tantum damnare Constantinus voluisset, jussisset ut ea involucra retexerentur, & priscas formulas retinuisset. Illud ei dederim libens, quod ait, caussa cecidisse tantum eos, qui decepti formula, vel plus petiissent, vel ineptam actionem instituissent; non autem eos qui una lapsi essent litera, quod ab omnibus tamen traditum est interpretibus. Quo quid inhumanius, quid ab aequitate gravitateque legum Rom. magis alienum? Potius igitur admiserim, leges quae hac de re supersunt ita esse accipiendas, ut quum in eo verbo, in quo errabatur, discrimen inerat actionum; tum quia errans in litera ineptam actionem instituebat, ac tota errabat ratione judicii, eum a tota prorsus formula cecidisse putemus, atque ideo a caussa. Inter actus vero legitimos & legis actiones aliquod discrimen Hothomanus notat, Cujacius nullum: qua de re tota inter eos, quamvis suppressis utrinque nominibus, est acerba contentio 1:

1. Hothom. Obser. lib. 12. cap. 30. Quæst. illust. 34. Cujac. Obser. lib. 15. cap. 16. & ad leg. Actus legitimi. ff. De reg. jur.

cum hic non modo actus legitimos, & legis actiones una eademque definitione complectatur; sed ne actus omnes qui in judicio fiunt, actuum legitimorum nomine veniant; nonnisi eos quos jurisconsulti notarunt, admittit. Ille contra, legis actiones privatis & magistratibus attribuat, actus vero legitimos privatis tantum: illas ex lege natas omnes faciat, hos etiam sine lege institutos: illas tantum inter praesentes, hos etiam per procuratores expediri contendat: cum Cujacius minime admittat ullum actum legitimum jure antiquo potuisse mandari. Qua de re nos alibi latius.

Proprium igitur actuum legitimorum fuit ut solenniter, & quadam cum religione, ac in jure apud magistratus exercerentur eos, quibus legis actio data esset 1. Unde apud magistratus municipales emancipationem fieri posse Paullus negat Sententiarum 2. cap. 25. nisi legis actionem haberent. Nec enim omnes magistratus eam habebant, neque competebat jure magistratus: unde neque mandata jurisdictione transibat 2.

Pro-

1. Leg. 4. ff. Adopt.
2. Leg. 2. ff. Offic. Procons. leg. Nec mandante. ff. Tutor. & Curatori. leg. Nemo ff. Reg. jur. Cujac. ad leg. Actus legit. ff. Reg. jur.

Proprium item eorum erat ut per procuratorem non fierent, ut minime iterarentur, ut momento temporis perficerentur, ut diem & conditionem expressam respuerent, tacitam admitterent: veluti acceptilatio adjecta die, vel conditione vitiatur 1: facta vero de re, quae sub conditione debetur, valet, quamvis eadem conditione promissionis tacite involvatur.

Hos porro jurisconsultus actus legitimos enumerat: nempe aditionem, sive cretionem hereditatis, mancipationem, acceptilationem, tutoris & libertatis dationem, & servi aliusve rei 2. optionem. Quibus ex auctoritate Ulpiani adjungenda est adoptio 3.

At ut singula persequamur, exordiemur ab aditione hereditatis, quam ex legibus XII. Tab. descendere docet Cajus 4. sive ex testamento, sive ab intestato veniret hereditas, eaque vel sola significatione voluntatis per verba solennia fiebat, vel cum cretione, quae promiscue pro aditio-

1. Leg. 4. & 5. Acceptilat.
2. Leg. Actus legitimi. ff. Reg. jur.
3. Leg. 1. ff. Offic. jurid.
4. Leg. 1. ff. Heredit. petit.

ne omni saepe accipitur 1. atque fiebat centum diebus a Praetore ad deliberandum datis: qui si heredi, vel recusanti, vel negligenti effluxissent, heres excidebat hereditate. Dies autem aliquando utiles a Praetore dabantur, veluti: *Titius heres esto, cernitoque in diebus centum proximis quibus scieris poterisque*. Eaque vulgaris cretio dicebatur, in qua heredi non currebant dies nisi scienti, aut minime impedito: vel dabantur continui, omissis verbis illis: *Quibus scieris poterisque*, in qua neque ignorantia nec impedimentum heredis dierum cursum 2. retardabat: eaque continua dicebatur. Ac in omni cretione testibus adhibitis haec solennia verba, quae Varro retulit, proferebantur 3. *Cum me Maevius heredem instituerit, eam hereditatem adeo, cernoque*. Isque cum fuerit actus legitimus, mandari alteri non poterat: ut mirer Duareno 4. viro doctissimo vi-

1. Cujac. Parat. C. De jur. delib. & ff. Adquir. hereditat. Duaren. ibid. leg. Cretionum 17. C. De jur. delib. & leg. 4. Cod. Theodos. De bon. matern.
2. Ulp. tit. 22. ubi Cujac. Revard. De auct. prud. tit. 3. Hothom. Illustr. quaest. 34. & locis supra citatis.
3. Lib. 5. De ling. Latin.
4. Duaren. Disput. lib. 2. cap. 27.

visum fuisse recte adiri per procuratorem 1. hereditatem. Quod si privatis liceret 2. quid magis hac in re tribueretur procuratori Caesaris, cui praecipuum fuit ut pro Caesare adire posset 3. hereditatem? Nunc ad mancipationem progrediamur, cujus cum ritum supra in legibus XII. Tab. exposuerimus; nunc tamen supereſt exponendum genus illud mancipationis, quo cives Rom. utebantur quum de injuria, periculo, damnove declinando cogitabant 4. Tum enim venditor ita rem cum emtore componebat, ut ad certum tempus, cum usus veniret, emtor rem eidem venditori redderet, praestaretque talem, qualem acciperet. Et quia bona sub ea fiducia mancipabantur, ideo genus hoc mancipationis *fiducia* fuit appellatum 5. Cujus hanc fuisse formulam cum gravissimis scriptoribus existimamus: *Ut ne propter te fraudemve tuam captus fraudatusve sim*. Ex quibus verbis doli judicium dabatur in eum, qui contra datam, acceptamque fidem rem alteri mancipasset. Eaque formula de-

1. Lib. 2. disp. 27.
2. Cujac. Observ. lib. 1. cap. 34.
3. Revard. De auct. prud. cap. 5. leg. 1. §. ult. ff. De offic. procur. Caesar.
4. Boëth. in Topic. Cicer. Liv. lib. 32.
5. Revard. De auct. prud.

deducebatur ex ampliſſima illa, quae omnibus bonae fidei judiciis cohaerebat: *Ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione*. Atque in aliis bonae fidei judiciis malam fidem, in hoc fractam fidem veteres vindicabant. Fiduciae genus eſt & lex commiſſoria; ſiquidem, ut optime Cujacius 1. fiducia eſt revendendi, aut redhibendi lex adjecta contractui.

Venditio quoque familiae, quae antiquo jure fiebat per aes & libram, utpote genus mancipationis, in actus legitimos eſt referenda. Initio ſane vel a militibus in procinctu, vel a paganis calatis comitiis, ſive populo ad ea vocato, pro collegio Pontificum, quorum in manu erat, ut ſupra diximus, jus civile, teſtamenta conficiebantur. Qui ritus cum exoleviſſet, alia per juriſconſultos prodita eſt ratio teſtandi per aes & libram. Qua teſtamenti factio ad imaginariam mancipationem, & verum nexum redigebatur. Nexum enim dicebant quicquid per aes & libram geſtum eſſet. Igitur ad hoc teſtamentum adhibebantur quinque teſtes, & libripens, & teſtator, qui familiam vendebat, & is qui emebat, ut alteri redderet he-

re-

1. Ad lib. 3. Inſtitut. de legit. agnat. tut. verb. Qui contracta fiduc.

reditatem. Emtor enim familiae, cum quo negotium gerebatur, nomen tantum heredis sustinebat, bona capiebat alter, de quo inter emtorem & venditorem fuerat constitutum. Cumque veteres omne dominium per mancipationem transferrent, recte huic generi actuum legitimorum subjicietur mancipatio per aes & libram ex caussa donationis, vel noxae dationis, vel solutionis, vel adoptionis, quae per mancipationem fiebat, ut infra demonstrabimus, vel cujusque dominii translationis 1.

Sequitur acceptilatio, cujus haec solennia verba fuisse tradit Cujacius: 2. *Acceptum fers? acceptum fero.* Qua formula non aliae obligationes tollebantur, quam illae, quae per stipulationem contractae fuerant; id enim tantum solvi potest verbis, quod verbis fuit adstrictum 3. Hinc ut etiam obligationes, quae rebus inductae fuerant abolerentur, formulam prodidit Cajus Aquilius, qua novatione facta, obligationes re contractas in contractum verborum, nempe in stipulationem, deduxit: quem verborum nexum oppositis verbis, nempe acce-

1. Cujac. ad leg. Actus legitimi. ff. De regul. jur.
2. Tit. Cod. lib. 8. tit. 45. De Acceptilat.
3. Leg. 8. §. Acceptum. ff. Acceptilat.

ptilatione, retexuit : ut cum omnia verbis essent adstricta, eadem verbis dissolvi liceret 1. Qua de acceptilatione loquitur Modestinus 2. cujus verba non recte in communem acceptilationem convertit Tribonianus 3. Nunc occurrit inter actus legitimos servi optio, eaque solenniter fiebat ex testamento; nec servi modo, sed & rerum alienarum optio solenniter ex testamento facta actibus legitimis adnumeratur. Tutoris datio duplex erat: altera ex testamento descendebat, quum testator certum hominem liberis tutorem designaverat: altera ex legibus XII. Tab. fiebatque a magistratu solenni decreto, amicis pupilli, & optimis viris rite arcessitis; quorum magistratus optabat quem pupillo utiliorem fore judicasset. Atque postrema, non illa superior tutoris datio, actus legitimus erat 4.

Manumissionis erant duo genera. Altera enim *Latina* dicebatur: altera *justa libertas*. A Latina libertus vel superbiens, ac super conditionem suam exsultans, a domino ad pristinam servitutem revocabatur, vel me-

lius

1. Leg. 18. ff. Acceptilat.
2. Leg. 1. ff. Acceptilat.
3. Hothom. lib. 8. cap. 18. Observ.
4. Cujac. *in loc. cit.*

lius usque de domino meritus ad justam, quae adimi amplius non poterat, libertatem producebatur. Itaque Latina libertas integra non erat, nec omnino a metu servitutis libera: eaque instituta fuit ut libertus aut metu servitutis dominum observaret, aut spe plenioris libertatis gratiam captaret obsequiis.

Cum autem Latina libertas daretur vel inter amicos, vel per epistolam, vel servo adhibito ad convivia solennia, quae de more inter cognatos & affines ad discordias sedandas, & componendos animos agitabantur 1. justa vero libertas vel testamento concederetur, vel censu sive professione facultatum, & nominis Romani a domino impositi apud censores, vel denique vindicta; postrema haec dandae libertatis ratio inter legis actiones, actusque legitimos recensetur 2.

Haec enim una manumissio fiebat in jure apud praetorem, vel consulem Romae, apud praesidem vel proconsulem in provinciis, apud quos dominus prenso capite, vel alio servi membro, haec solennia verba proferebat: *Hunc hominem liberum esse volo*, ac eum deinde colapho impa-

1. Val. Max. lib. 2. Revard. De auct. prud. cap. 7.
2. Cujac. ad dict. leg. Actus leg. ff. Reg. jun.

cto circumagebat : ut indicaret eum, quo voluntas ferret ire posse .

Praetor autem, audita justa manumittendi caussa , sive titulo manumissionis (quo deducto in hoc manumissionis genere opus erat) atque imposita capiti vindicta , domini verba solenni hac excipiebat formula : *Ajo te liberum esse jure Quiritium*. Ac libertatem adeptus, statim abraso capite capiebat pileum 1. Nulla tamen manumissio tribum sive jus suffragii tribuebat . Id enim olim nonnisi a populo , postea tantum a principe concedebatur . Civium enim Romanorum alii cum suffragio erant , alii sine suffragio 2. Ex quo intelligitur species, quam proponit Scaevola de patrono , qui per heredem tribum 3. liberto emendam curaverat. Quae vero manumissio censu fiebat exolevit, ac ejus locum *manumissio in ecclesia* occupavit . Unde in locis , in quibus Cajus census mentionem fecerat , ecclesiam fuisse a Triboniano substitutam plerique arbitrantur .

Offert se nunc emancipatio . Quimo-

1. Plaut. Amph. Liv. lib. 24. Non. Marcell. Revard. loc. cit.
2. Liv. lib. 8. lib. 9. & lib. 38.
3. Leg. Patronus. ff. leg. 3. Cujac. Obsery. lib. 7. cap. 14.

modus est solvendae patriae potestatis XII. Tab. legibus inductus. Nam Romuli legibus, vel, quod Ulpiano placet, moribus Romanis, jus erat patri vitae & necis in filio; ut deterioris conditionis esset servo filius, siquidem servus semel manumissus liber erat: filius a patre venditus si manumitteretur, in patris potestatem relabebatur, nec ante liber erat, quam post ternam venditionem, & ternam manumissionem 1.

Hinc ut filius de patria potestate aliquando exiret, excogitata est a prudentibus imaginaria venditio, quae fiebat accitis quinque testibus, & libripende, adhibitoque sestertio nummo 2. uno *dicis gratia*, sive non vere, sed ut dicere possent emisse sese: atque ita filius ter a patre naturali patri fiduciario venditus, atque ab hoc ter manumissus, deinde servi more circumductus, & colapho 3. percussus, libertatem assequebatur, cum filiae ac nepotes ex filio suscepti una emancipatione sui juris fierent 4.

1. Cujac. ad Senten. Paull. lib. 2. tit. 25. Revard. ad leg. XII. Tab. cap. 3. ex Dionys.
2. Cujac. Observ. lib. 10. cap. 37.
3. Cujac. Parat. lib. 8. Cod. tit. 48. Cajus Institut. lib. 1. tit. 7.
4. Ulpian. tit. 10. Cujac. ibi, & ad Paull. lib. 2. Sententiarum 25.

Adoptionem quoque actibus legitimis Ulpianus adjungit. Docet enim potuisse apud juridicum adoptionem fieri, quia data esset juridico legis actio. Non autem adoptio, quae testamento fiebat actus legitimus erat; sed illa quae apud magistratum, vel populum peragebatur.

Siquidem aut filius familias quis adoptabatur, aut homo sui juris, quod genus adoptionis dicitur *adrogatio*: vel quia populus rogaretur, vel ut Cajus putat, quia ille, qui adoptat interrogatur, Utrum illum quem adoptat filium habere velit? & qui adoptatur interrogatur, Utrum id fieri velit?

Porro cum filium familias pater in adoptionem daret, eum adoptanti per aes & libram vendere simulabat. Emtus autem filius statim ab emtore manumissus in pristinam patris naturalis servitutem recidebat; eaque venditione iterum, atque iterum a naturali patre repetita, & duplici manumissione ab adoptante facta, post tertiam denique mancipationem, & duas manumissiones, in patris adoptivi potestatem filius deveniebat; ac in illius nomen, hereditatem, & sacra transibat. Sacra enim perpetuo infixa familiis pecuniam & hereditatem sequebantur; ut quo pecunia-

ten-

tenderet, eo sacra pervenirent 1. Nepos vero unica tantum venditione patris adoptivi familiam assequebatur 2. Adrogatio, sive adoptio illius, qui sui juris erat, fiebat comitiis centuriatis, adoptionis 3. exposita caussa, praestitoque jurejurando nullum ei rei dolum, fraudemve subesse. Tantaque hujus actus erat solennitas, ut ante cum diis augures explorarentur, arbitris sive auctoribus Pontificibus, quos ea gratia vocari Gutherus 4. & Revardus 5. censuerunt: quod in arrogatione venirent jura sacrorum, quorum Pontifices erant custodes. Quae mihi ratio minime probatur. Cur enim Pontifices non adhibebantur etiam in adoptione, quae per aes & libram fiebat, qua & sacrorum jura transferebantur? Quamobrem aut solennitatis gratia, vel religione quadam fuisse accitos dixerim, aut ignorantiam fateri maluerim, quam obtrudere pro veritate commentum. Porro 6. utrinque pater & filius a Pontificibus interrogabantur: ille an eum civem adoptare vellet: hic an auctor fieret, sive

1. Guther. De jur. Pontif. lib. 2. cap. 5.
2. Cujac. ad tit. Cod. De adopt.
3. Cic. Pro dom. sua ad Pontif. Gell. lib. 5. cap. 19.
4. De jur. Pontif. lib. 2. cap. 5.
5. De auct. prud. cap. 6.
6. Revard. De auct. prud. cap. 6.

sive an vellet in illius migrare familiam? ac si auctor fieret, tum haec ad populum verba derigebantur: *Velitis, jubeatis, Quirites, uti L. Valerius, L. Titio tam jure legeque filius sibi fiat, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset: utique ei vitae necisque in eum potestas siet, uti pariendo filio est. Haec ita ut dixi vos Quirites rogo.* Hinc adrogationem fieri jure antiquo per populum 1. dicitur. Per populum quoque ad Antonini tempora fieri consuevisse palam facit Ulpianus 2. Illud ex antiquo ritu fuit immutatum, ut pro Pontificum auctoritate, principis qui Pontificatum maximum gerebat interponeretur auctoritas 3. Ut mirum sit, cur Alciatus veterum rogationum morem sub principibus exoleviſſe 4. contendat, cum Neronis adoptionem censuisse patres, jussisse populum, Tacitus scribat 5. Caeterum veteres adoptionis solennitates tandem evanuerunt, & adoptio actibus publicis, adrogatio principis, rescripto, peragitur 6.

Acti-

1. Leg. 2. in fin. C. Adopt.
2. Tit. 8.
3. Leg. 2. ff. Adopt.
4. Lib. 9. Parerg. cap. 5.
5. Lib. 12. Annal. Guther. lib. 2. De jur. Pontif. c. 5.
6. Cujac. Parat. C. De Adopt.

Actibus legitimis usurpationem non Hothomanus modo, qui mirum quantum eorum numerum produxit, sed & Revardus etiam attexuit.

Usurpatio 1. est interruptio & scissura quædam usucapionis, cujus cursum bona fide institutum usurpatio 2. sistit. Non autem sola defractione furculi, nec certa definitave solennitate inducitur usurpatio, sed variis modis, ex rei negotiive natura. Sane si fundi usucapio fuisset interrumpenda, furculus defringebatur: & de hoc usucapionis genere posuit exemplum 3. Cicero, quo exemplo ductus Revardus, usurpationes universas hoc genere uno rituque concluſit: cum non modo sine hac aliave solennitate, sed & sine hominis opera usucapio interrumpatur, & ipso eventu inducatur usurpatio 4. Aquæductus enim usucapio interrumpitur, sive jus aquæ ducendæ usurpatur, etiam si aquam ad priorem cursum nemo reducat, sed ipsa domini rivum sua sponte repetat. Hinc usurpationem ex actibus le-

1. Cujac. ad tit. Cod. de usucap. transform. & ad lib. 54. Paull. Ad edict. leg. 2. ff. Usucap.
2. Leg. 2. ff. Usurp. & usucap.
3. Lib. 3. De orat.
4. Leg. 12. ff. Quemad. servit. amit.

gitimis eximendam putavimus. Etenim actus legitimos per alium exercere minime possumus; recte tamen per alium usucapionem interrumpimus: immo & sine nostra vel alicujus opera 1. usurpamus Ciceronis locus pro Caecinna, ubi ritus exponitur deductionis ex fundo, quae moribus fiebat, & Pomponius 2. qui tradit Appium Claudium librum de legis actionibus & usurpationibus reliquisse, Revardum in eam fraudem impulere, ut usurpationem actibus legitimis adjiciendam existimaverit. Verum Ciceronis locus potius pertinet ad edictum de vi quotidiana, quam ad usurpationem. Et Pomponius cum ait Appium Claudium scripsisse librum de legis actionibus, vel, ut in emendatioribus codicibus legitur, *De actionibus, & usurpationibus*, usurpationem a legis actionibus perspicue discernit, siquidem nominatim usurpationem distinxit, ac ex actuum legitimorum genere subduxit: ut miscenda minime sint aut conturbanda. Quos hactenus descripsimus, actus legitimi significantur a jurisconsultis, sine quorum au-

1. Leg. 12. 13. 14. ff. Quemad. serv. amitt. Cujac. ad leg. 2. ff. Usurpat. & usucap.
2. Leg. 2. §. 36. ff. Orig. jur.

auctoritate alios adjicere minime debemus, ne ultra modum propagentur; ut contractus omnes actusque judicii cunctos legis actionum nomine comprehendere cogamur.

66

J. VINC. GRAVINÆ

Jurisconsulti

DE

LINGUA LATINA

DIALOGUS

AD

EMMANUELEM

MARTINUM.

DUM legerem notas a te ad peſſimos nebulonis illius noſtri verſus appoſitas, non ſolum, vir clariſſime, doctrina delectabar, quam coarguendis erroribus adhibuiſti; ſed & tua cavillandi urbanitate, ac facetiarum acumine rapiebar, & benivolentiam erga nos, atque honeſtatis tuendae, audaciaeque coercendae, ſtudium oppido quam admirabar. Nec enim impudentiſſimi ſcurrae deliria tanti fuiſſent, ut mererentur doctorum hominum

num iram, & ſtylum tuum nitidiſſimum ab illuſtranda vetuſtate, ac exponendis originibus linguae Latinae, ad pueriles ineptias exagitandas converterent. Verum unde hoſtium obſcuritate pridem abducebaris, eo te tandem evocavit ſemidoctorum hominum plauſus, quibus ea peſtis in bonorum injuriam nutriebatur; ut non prius putaveris furores illius belluae repreſsum iri, quam perditos ſycophantas, & inſulſos poëtaſtros tuis telis confodiſſes, & inauditam temeritatem, quae ſimplicioribus fraudem ferebat, & juventutem a recto cum orationis, tum vitae inſtituto detorquebat, patefacta jam ſtolidiſſimi Thraſonis ignorantia perdomuiſſes. Quippe compertum tibi erat: * ὅτι ἐυπρόσοδον παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται.

Illud modo, vir doctiſſime, piget, tua te doctrina nequiſſe uti tam parce, quin plus interdum ſuſceperis, quam tibi eſſet a bonorum deſiderio tributum & denunciatum; & dum barbarae dictionis vitia palam faceres, egiſſe tam ſerio, ut illinc oratione latius continuata, non raro ad abſtruſiores eruditionis locos excurreris, & in mendis paullo nimium pon-

* Demoſth.

ponderandis, adducendiſque bonorum ſcriptorum exemplis, operam tam male locaveris, quam qui viliſſimis centonibus pretioſiſſimam purpuram attexuerit. Age porro nunc quando ſatis eos tuis aculeis confixiſti, &, quod intenderas, vulgares animos in fraudem inductos, ac ad admirationem inquinatiſſimæ dictionis erectos, magnam partem ab errore liberaſti; refer te quaeſo ad graviora ſtudia, & invidos dimitte conſumendos livori ſuo. Te namque monitum velim, haſce belluas a nobis miſeriores non fore quam ſuopte ingenio ſunt: quippe proprio livore confecti, & alienis meritis exulcerati poenas dant injuriarum antequam laeſerint. Qui namque tam furiose ruunt, ut in optimos quoſque immodica licentia verborum incurrant; hi cum ſummae libertatis compotes videantur, ſervi tamen ſunt, & adminiſtri perturbationum, quarum turbine correpti, eo tandem adhaereſcunt, quo impotentis animi fluctibus ejiciuntur. Enimvero quos in nos liberiores vides, hos praedam & nexos eſſe noſtros pura: quoniam animos eorum pro arbitrio verſamus, atque torquemus; & quum libet in aegritudinem conjicimus; ſimulatque ingenii robur, ſi quod habemus, ali-

quo

quo patefaciamus exemplo. Ut liqueat, invidos alieni potius juris esse quam sui. Et quo magis eorum te misereat, bonorum meritis velut adspectu tortorum urgeri. Nimirum livor & malivolentia tum procreatur maxime, quum in angustis animis, atque jejunis species alienae virtutis expanditur; contrahitur vero & affligitur opinio sui. Etenim id genus homines usque eo praestantioribus plaudunt, & praecurrentibus favent, quoad consequi posse confidunt: ubi vero spe ceciderint, eos quibuscum frustra contenderent, quo discrimen minus emineat, maledicentia premunt. Levis autem est, quae ab opibus & novis honoribus conflatur invidia, praeut illa, quae a praestantiori doctrina suscitatur. Cum etenim a caeteris animantibus mente ac intelligentia distinguamur, quisquis ubi veritatis splendor effulget in ingenii contentione cesserit, is e suo videtur humanitatis jure decedere, ac propriam quodammodo extenuare naturam. Scilicet animi tantum bona mortales jure mancipii, jureque optimo possidemus: externorum usus tantum apud nos est, proprietas & arbitrium penes fortunam. Unde quum ingenii vires in judicium veniunt, qui causa cecide-

de-

derit, capite potius quam bonis mulctatum putaveris; nec tam extenuatum dixeris, quam extinctum.

Tenuibus enim opulenti opinione tantum antecellunt. Sapientes vero stultis reapse praestant & natura. Sane si mea fuerit optio, bonam mentem cum Croesi fortunis minime commutaverim. Stulti enim opibus, & copiis, quibus aliis arroganter & superbe dominantur, ipsi miserrime serviunt: sapientes vero, qui caussarum nexum intelligentia, intelligentiam voluntate sequuntur, cupiditates extra naturae finem effusas, ad rationem revocantes, fortunam subigunt, & cum justitia per se convenientes, leges non dominas habent vitae, sed comites; neque magistras, sed consortes & socias consiliorum. Ita ut vix ulli praeterquam sapientibus liceat in libertatem vindicare sese: quandoquidem fortunam contemtu rerum humanarum eludunt, versisque virtutibus in morem, congruunt legibus, non obtemperant. Conviciis autem & maledictis minime perturbantur, sed animo praesenti, atque acri resistunt: tum quia quod attribuere improbi nequeunt, calumniis frustra tentaverint; tum quia studiorum praemium non in judicio

imperitorum, sed in ipsa sapientia situm est: tum denique quod egre quis invidiam declinarit, nisi vel alios retexuerit, vel ipse a virtute deflexerit, quorum alterum absurdum foret, alterum plane stultum. Quisquis autem pro rebus maximis, qualis gloria literarum est, invidiam subit, hunc optimum sane putes iniisse consilium. Aciem enim invidiae dies obtundit, & vestigia livoris aevum obliterat: laudem vero doctrinae posteritas alit, atque adeo ipsa conservat & tuetur aeternitas. An autem patientissimis temporibus, in quibus furor tam impune discurrit, ut ne principibus quidem viris abstineat, homuncio ipse sperassem nomen nostrum fore sacrosanctum; cum eos omnes haberem infensos, qui laudem suam ducunt e vitiosa corruptaque doctrina, quam nos pro viribus oppressimus atque concidimus? praesertim cum genus hominum lacessiverimus, qui flagitium nullum, si sejunctum a periculo fuerit, abominantur: ac satis honestati datum arbitrantur, si fugiant in sceleribus nomen profiteri suum. Horum enim sententia honestum est quodcumque latet. Nunc, quando mihi tanti non fuerunt, ut a memet ipso aberrare me cogerent, ac infi-

xum animo illud Horatianum eri-
perent :

Invidiam placare paras virtute re-
licta ?

Contemnere miser ;

minime te, vir doctissime, patiar in ea contentione diutius versari : ne quantum industriae ac studii confers ad horum lapsus reprehendendos, compescendosque indoctorum stupidos plausus, tantum operi summa cum laude suscepto, non sine magno literarum detrimento, detrahatur. Ac ut eo te revoces, unde benivolentia in nos tua, & odio improbitatis abstrahebaris, quod tu saepe soles in familiaribus colloquiis, ut juvenes popularis linguae facilitate captos, & versionibus librorum, quae in diem prodeunt, occupatos, ad linguae Latinae cultum impellas; id ego nunc scriptis praestiti ; dialogumque contexui, in quo te induxi disserentem, atque aliquid promentem eorum quae tu de Latinae linguae origine in tuis eruditissimis commentariis uberius multo explicabis, ac plane subtilius.

EMMANUEL. PROCULUS.

PR. Praeter morem, Emmanuel, sub auroram domo egrederis.

EM.

EM. Verno tempore, ac coelo, ut vides, tam sereno, quid matutina deambulatione salubrius? PR. Nisi malis esse solus, me tibi comitem adjunxerim libens. EM. Immo jucundissimo sermone tuo curis levari vehementer gaudeo. PR. Vide ne potius molestus advenerim, teque a socio longe suaviori distraxerim. EM. Cedo: a quo nam? nemo enim ante te nobis occurrit. PR. Ab eo scilicet quem domo tecum extulisti, quemque adeo geris in manu. EM. Codicem nempe hunc significas? PR. Ipsum. EM. Sane hunc arripueram, ut si solus fuissem, illius lectione aliquantisper oblectarer: nunc quando in te incidi, malo hasce horas colloquendo tecum, quam legendo transigere. PR. Quis vero est auctor? EM. Tullius. PR. Suboluerat. Mirum, si momento eum dimisisses. EM. Immo vero mirum esset si hunc scriptorem non haberem eximium, quo nemo est auctor in eloquentia Latina, & in omni sermonis elegantia locupletior, nemo splendidior, nemo uberior, nemo in omni eruditione celebrior, nemo denique, de quo cum tot laudes sint diffusae, minus tamen pro illius dignitate sit dictum. Nisi vero aliquis eorum sis, quibus hoc tempo-

re Cicero ſordet, Appulejus murrinam olet. PR. Dî nolint, ut uſque eo deſipiam. Sed eo dixi, ne tibi conſtitutum ſit linguam Latinam praecaeteris amplexari, cum tot annos in veteribus libris verſeris, ut jam alio tibi migrandum cenſeam. EM. Quaſi non majus ſit negotium partas opes tueri, quam parare. Noſti illud Demoſthenis: πολλάκις ἔοχε τὸ φυλάξαι τ' ἀγαθὰ τῦ κτήσασθαι χαλεπώτερον εἶναι. PR. Factum igitur Emmanuel non mutaverim, quippe ne implicarer, nullum Latine ſcribendi uſum, ſed auctorum mihi tantum intelligentiam appetivi; ac experiri nolui quod erat impetratu difficillimum. EM. At cognoſces in tempore quantam & animo voluptatem, & inventis lucem ademeris, neglecto uſu ejus linguae, quae una poteſt cogitationes hominum, & res geſtas in orbis terrarum univerſi partes diſſeminare, ac adaequare cum omni poſteritate ſcriptoris memoriam. PR. Ita ne vero? an ideo nobis hiſcere non licebit? quaſi non idem vulgares linguae praeſtiterint quod uni tu Latinae tribuis. Adeone nobis erit maligne, ut cum quis Italicâ linguâ ſenſus ſuos aperuerit, lectorem non ſit inventurus apud Hiſpanos, Gallos, & Germanos, ad quos omnes no-

noſtri ſermonis uſus increbuit. Ut autem noſtram linguam Italia finiri concedamus; an non Gallica nobis praeſto erit, quae borealem omnem oram occupavit, & una cum Gallorum commerciis vel ad remotiſſimas terrarum regiones excurrit? Et libris converſis veterum, omniumque populorum ſcriptis Gallice redditis, jam copias & ornamenta cunctarum pene linguarum exhauſit; ita ut ei qui Latinam vel intermiſerit, vel ablegarit, una Gallica poſſit eruditionis univerſae campum aperire. Quae enim antea praeter quam Latinis patebant nemini, nunc occurrunt, & collucent omnibus, non ſolum viris, ſed & foeminis: cum nihil hodie tam ſolenne ſit apud matronas, quam de Marianis conſulatibus, & Syllana proſcriptione diſceptatio. EM. Per te igitur, Procule, relictis patriis finibus ad exteros tua natio commigrabit. Ut quum faſces jam diu tranſalpinis hominibus ſubmiſeritis, linguam omnium olim gentium dominam, victricem populorum, commune nationum vinculum, extinguatis: & quod unum ſupereſt vetuſtae majeſtatis monumentum evertatis. Verum ne te ad jus gentium revocem, neve tibi patrii ſoli caritatem inculcem; utque

dederim historias, & scientias popularis sermonis luce satis esse jam promtas; integramne in aliena lingua oratores & poëtae propriam venustatem, & elegantiam retinebunt? Non te fugit inesse linguis colorem praecipuum & nitorem, scriptoribusque singulis inditam esse patriam urbanitatem & nativum leporem, qui peregrino linguarum ingenio corrumpitur; ita ut ingenuus ille flos eloquentiae convulsus e solo suo, statim exaresçat, ac germana virtus orationis externis moribus obliniatur. Partium namque complexio, verborum compositio, sonus, & numeri, quibus tota constat dicendi venustas, dissolvuntur, & ipsae quoque sententiae conciduntur, & enervantur; ac vigor & adspectus eloquentiae nativae novis & exteris coloribus inducitur, & aboletur: immo scriptoris sensus ipse pervertitur interpretis, vel negligentia, vel, quod non raro accidit, imperitia: vel quia peregrina linguae Romanae aut Graecae copia, ubertate, ac vi minus plerumque respondet. Verum fac ut interpres eandem venustatem, ac veritatem, & sanitatem orationis aliena lingua reddiderit; fac ut popularis percurrat quousque Romani sermonis amplitu-

do diffunditur : ſpem certè diuturnitatis, quae a Graecis & Latinis literis oſtenditur, peregrinis nunquam attinges . Latina enim lingua Romanorum armis & commercio ſimul cum imperio in omnes fere orbis terrarum regiones penetravit , & ubique diſſeminata eſt , ſparſis, atque etiam continuatis ſaepe coloniis, praecipue vero propagata eſt, & conſervata legibus atque judiciis: nec enim licebat lege agere , aut in judicio reſpondere apud Romanum magiſtratum peregrina lingua , neque fas erat magiſtratibus in provinciis reddere jus , niſi latine . Solennes autem formulas vetitum erat peregrina lingua corrumpere. Nam quiſquis formulas & verba civilia labefactaſſet, is neque contrahebat obligationem jure civili, neque diſſolvebat , nec heredem recte inſtituebat . In ſolis enim fideicommiſſis utilitatis cauſsa relaxata eſt ſeveritas juris civilis ; ita ut receptum fuerit heredem inſtituere verbis obliquis: quae directis opponuntur, ſive civilibus: de quibus 1. cum antea dubitaretur an eadem fuerint, dubitationem omnem ſuſtulit Ulpiani liber Regularum , ubi fideicommiſſum definitur : *quicquid non verbis*

1. Cujac. leg. Verbis civilib. ff. Vulg. & publ.

civilibus, sed precariis relinquitur. Ex quo licet colligere verba civilia eadem esse ac directa; nempe more imperantis enunciata: quibus implebatur quicquid ex jure civili, sive ex legibus XII. Tab. descendebat. Eaque legis verba dicebantur. Unde testamenta, quae sunt privata quaedam lex, verbis directis quoque conficiebantur 1.; veluti: *Titius heres esto*. Actus igitur legitimi, qui & solemnibus verbis peragebantur, nempe emancipatio, aut acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris, servi liberatio, Latinis verbis praescriptisque formulis exprimebantur. Immo ne legatum quidem Graecis verbis recte relinquebatur Ulpiani tempore, quod ex capite 25. Institutionum colligitur. Sed fideicommissum contra Graecis verbis rectum valebat 2.: propterea quod legatum ex jure civili, fideicommissum ex moribus descenderet. Atque ex forensi usu multa, & ad extraneas linguas permanarunt Latina vocabula, quorum plura in Syriaca Casaubonus observat, non forensia modo, sed & militaria: ita ut Latinus sermo, veluti sanguis, in totius imperii

1. Cujac. 12. Observ. cap. 35.
2. Duar. lib. 2. Anniver. cap. 9.

rii Romani corpus simul cum Romanis moribus fusus fuerit. Populis quoque responsa Latine tantum ab his, qui cum imperio erant reddebantur, ut nemo sine incommodo ea lingua caruerit. Unde Gregorius Thaumaturgus queritur quod coactus sit ob imperium magistratuum, & usum judiciorum eam linguam addiscere, quam idoneam sane ad imperium reputabat. Et quamvis imperium ex Italia sublatum fuerit, ac in Graecia defixum, indeque ad Germanos translatum; & Graeciam simul atque Italiam colluvies barbarorum obruerit, extincta prope cum legibus moribusque Romanis Latina lingua; tamen ubi Germani, qui ad haec studia duriores erant, ingenium ad literas flexerunt, atque codicibus Romanarum legum longo post tempore repertis, mores simul & jura vetera revixerunt; emersit etiam lingua Latina, ut studiosis vetustatis historiarum & jurisprudentiae lucem accenderet. Nec parum ad illius firmitatem & usum contulit auctoritas Ecclesiae Romanae, quae Graecis disciplinis auctoritatem Latinarum literarum opposuit, qua, veluti nota quadam jurisdictionis & imperii, suos a Graecorum moribus, ritibusque discrevit: ut

quo latius Ecclesiae Romanae potestas excurreret, eo altius sermonis dignitas emineret. PR. Fateor sane his radicibus coaluisse, indeque conservatam fuisse Latinam linguam: sed cum Graecam adhuc retineamus, nec his fuerit munita praesidiis; cur eandem sortem vernaculis linguis sperare non licebit? EM. Quid? An ne tu nihil amplius Graecae linguae tribuis, quam vernaculis? cum illa & origine, & auctoritate, & dignitate linguis caeteris antecellat maxime: ac tanto caeteris praestet, quanto proli parentes, rivis flumen. Neque vernaculae, quae a Latina tanquam a capite perfluunt, retineri, & conservari possent, nisi ad Latinam, atque inde ad Graecam, quae omnium fons est & origo, revocarentur. Plura, fateor, ab Etruscis, Volscis, Oscis, Sabinis, ac finitimis populis in Latinum sermonem incidere vocabula: sed nihil patet latius, quam id quod a Graeca manavit, ac deinde cursu temporum & ingenio populorum varia inflexione, ac literarum commutatione corruptum est: idque potissimum ab AEolica lingua fluxisse, scriptores ex inflexionum ac terminationum affinitate conjiciunt. Quorum non omiserim Dionysium Halicarnasseum,

feum, qui ſcribit, Romanos nec ferme Graeca lingua uti, nec plane barbara; ſed ex utraque conflata; maximam vero partem AEolica, ἧς ἐστὶν ἡ πλείων Αἰωλίς. Ad quae deſcenderunt & Quintilianus, & duo poſt hominum memoriam graviſſimi atque eruditiſſimi vetuſtatis Interpretes Joſephus Scaliger, & Samuel Bochartus. Immo Verrius inter veterem Romanam, & veterem Graecam minimum intereſſe contendebat, hiſce ductus Ennii verſibus:

Contendunt Graii, Grajos memorare ſolemus,
Quod Graeca lingua longo poſt tempori' tractus.
Hos pavi.

Nec mirum ſi a quibus Romani genus duxerant, eorum & linguam retinuerint, quippe profecti ex Aboriginibus, quorum genus a Graecis plerique ſcriptores repetunt. Multo namque ante bellum Trojanum tempore Arcades Oenotro Lycaonis filio duce ex Peloponneſo in Italiam ſeſe effuderunt, & cum montes occupaſſent, a finitimis Aborigines appellati. Graecis enim mons ὄρος dicitur. Atqui hi Graecorum gentem vetuſtiſſimam Pelaſgos, a quibus & Arcades erant oriundi, ex Haemonia

in Italiam appulsos, ac diuturnis erroribus fractos & dissipatos, sedibus exceperunt. Ad Arcades autem aliqui scriptores referunt usum dimidiatae lunae in calceis Romanorum senatorum intextae: propterea quod auctores eorum Arcades de antiquitate cum luna contenderent, quamvis aliqui velint esse notam centenarii numeri, quo fuit a Romulo patriciorum ordo concluſus. PR. Video te Romanorum originem altius repetere, ac deflectere simul e via, cum commune sit, ac mira scriptorum frequentia comprobatum, auctores Romanae gentis esse Trojanos, qui, AEnea duce, in Italiam classe delati, haec loca tenuerunt. EM. Non me fugit hanc opinionem late manasse, ac diuturnitate coaluisse, itaque omnium animis inhaesisse, ut qui eam convellere tentet, is conetur vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam extorquere. Unum Bochartum nempe pondus antiquitatis compressit, neque communis persuasio deterruit, quin molem hanc auctoritatis solidissimis rationibus de abstrusiori vetustate conquisitis, conaretur evertere. Nisi enim Homeri tempore Trojae regnum in AEneae familia, ejusque posteris perstitisset, nunquam summo

poë-

poëtae illa carmina excidiſſent:

Νωῦ ὄ δὴ Αἰνείαο βίη Τρόεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένονται.

Nunc genus AEneae Iliacis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Scio alios pro Τρόεσσιν, ſubdidiſſe Πάντεσσιν, forſan ut aliquid darent auribus Romanorum. At undenam acceperat Homerus famam ejus imperii, cujus nondum fundamenta jacta erant? Vixit enim Homerus circiter mille annos ante Chriſtum natum. Qua propter Strabo haec verba convertit in AEneae ſtirpem, quae Homeri tempore Trojae regnum obtinere credebatur. An enim Homerus futurum Romanorum imperium cogitatione praeceperat per divinationem poëtis familiarem? quod nemo ſanus admiſerit.

Neque vero deſunt ſcriptores, & quidem graviſſimi, qui tradant AEneam eſſe ſepultum in urbe Berecyntho ſecundum flumen Nolon: quorum meminit Agathocles Cyzicenſis apud Feſtum Pompejum. Ac illa in regione flumen eſſe dicitur, & lacus, & urbs, quae ab Aſcanio AEneae filio traxere nomen, quod ex Stepha-

no Geographo & Mela cognoscere licebit. Immo Dionysius Halicarnasseus, ex *Troicis* Hellanici refert, AEneam Thraciam & Pallenem fuga petiisse, Ascanium autem Trojae cum imperio remansisse. Quibus auctoribus facile vicerim AEneae sobolem, & reliquias Trojanae gentis Romam nunquam fuisse traductas, nec e patrio solo discessisse. Si vero non testibus tantum, sed conjecturis etiam agere placeat; non paucas ex historiis Bochartus excitavit. Multis enim annis quam Roma condita fuerat, receptus fuit 1. cultus Veneris apud Romanos. Qui cultus si AEneas Italiam attigisset, sane coaluisset cum ipsis Romae natalibus. Et tamen in Roma veteri nullum vestigium hujus cultus eminet; ut ne sub Regibus quidem nomen Veneris fuerit auditum. Quocirca Scaliger reprehendit Ennium quod dixerit:

Te nunc sancta Venus precor, & genitrix patri' nostri.

atque addit in ejus ad Festum eruditissimis notis, Venerem quod a peregrinis regionibus venerit hoc habuisse nomen.

Quod si Romanam gentem AEneas condidisset, Phrygiorum numi-

num

1. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 12.

num cultum, & praecipue matris ſuae Veneris, ac Apollinis, religionem inſtituiſſet. Quippe principem locum Apollo inter Trojanos deos obtinebat. Ejus vero cultus veteribus Romanis non innotuerat. Nec enim a Numa, ut Arnobius teſtatur, in deorum indicem relatus invenitur.

Quae major apud Trojanos religio quam Rheae matris, e Creta cum Trojanae gentis auctoribus in Phrygiam translatae? At ea non ante annum Urbis DL. diis Romanorum fuit adſcripta: quo tempore monente oraculo Rheae ſimulacrum Attali Regis permiſſu Romam inde fuit advectum. Quod autem credunt, ſimulacra deorum in Latium ab AEnea fuiſſe primum allata, tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum. Scimus enim ex Varrone, cujus teſtimonium adducit Auguſtinus, Romanos deorum imaginibus annos CLXX. caruiſſe; non quod eas vel amiſerint, vel, ut aliquorum opinio fuit, ejecerint (eis enim religio fuiſſet) ſed quia nondum norant.

Nec (quod ex Plutarcho accepimus) Numa, ne meliora deterioribus exprimerentur, ut Clemens Alexandrinus refert, ſimulacrorum cul-

cultu populo interdixiſset, ſi animos ea religione imbutos inveniſset. Quam fabulae ſuſpicionem auget Bochartus, commiſſis inter ſe Phrygiis & Romanis vocibus, in quibus Phrygium vocabulum recognoſcit nullum.

Sed ne longius excurram, non aliunde linguam Latinam quam a Graeca eruere licebit. Iccirco nunquam fuit Latinae linguae ſtudium ab abſtruſa Graecarum literarum cognitione ſejunctum. Immo, quaſi perpetuum elegantiae foedus iniiſſent, pulſis Latinis literis, Graecae ſimul exularunt, illiſque revocatis, hae redierunt. A Graecis enim non modo ſcientia omnis & eruditio profecta eſt, ſed & literarum formae, quas Graecos a Phoenicibus accepiſſe traditum eſt. Phoenices autem ipſi ne invenerint primi, an vero ſumſerint ab Hebraeis, non ſatis conſtat. Siquidem nihil eſt a ſcriptoribus magis inveſtigatum ac minus deprehenſum, quam origo literarum. Eam enim his rebus noctem vetuſtas offudit, ut omnibus datus ſit diſputandi locus. Quapropter non mirum ſi noſtris temporibus Olaus Rudbechius, homo Gotthus, diu tamen in antiquitate verſatus, non eſt veritus literarum originem aſſerere genti ſuae; propterea

rea quod pleraeque Runae inverſae noſtras reddant literas; quaſi non ad eos, ut ad caeteros, ex eadem origine perveniſſe facile ſit. Ex antiquioribus vero Diodorus 1. Mercurio AEgyptio literarum inventionem aſſignat: quicum conſentit Cicero 2., cui quintus eſt Mercurius, Theut AEgyptiis dictus. Hunc 3. Plato tradit oſtendiſse Regi AEgyptio literarum inventionem, qua ſe memoriae ſubſidium comparaſſe praedicabat: Regem autem reſpondiſſe, arte illa non tam memoriam, quam reminiſcentiam juvari: deinceps enim homines literarum praeſidio confiſos memoriae ſtudium remiſſuros. τοῦτο γὰρ τῶν μαθόντων λήθην μὲν ἐν ψυχαῖς παρέξει μνήμης ἀμελετησίᾳ. ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων οὐκ ἔνδοθεν αὐτοὺς ὑπ' αὐτῶν ἀναμιμνησομένους. οὐκ ὂν μνήμης, ἀλλ' ὑπομνήσεως φάρμακον εὗρες.

Ab hoc autem Theut duxere Graeci ſuum θεὸς, unde Latinis *Deus*: ut produnt viri originum peritiſſimi. Alii a Menone quodam in AEgypto inventas arbitrantur. Alii ab AEthiopibus, indeque ad AEgyptios eorum colonos commigraſſe, ac deinceps ad gen-

1. Lib. 3.
2. Lib. 3. De nat. Deor.
3. Plato in Phaed.

gentes credunt manasse caeteras 1. Plerique putant literas a Mose traditas Hebraeis, ab Hebraeis Phoenicibus, a Phoenicibus tandem aliis nationibus, ad quas vel novarum sedium cupidi, vel mercium caussa 2. navigarunt. Exstat illud apud Vossium 3. epigramma:

Primus Hebraeis Moses monstravit
literas,
Mente Phoenices sagaci condiderunt
Atticas,
Quas Latini scriptitamus edidit
Nicostrata,
Abraham Syras, & idem repperit
Caldaicas,
Isis arte non minori protulit AEgyptias,
Gulfila promsit Getarum quas videmus literas.

Josephus vero Scaliger, a quo temere nunquam dissenserim, quovis pretio contendit Phoenicias literas diu ante Mosen in usu 4. fuisse, ac eas olim Hebraeos, hodie Samaritas retinere: quorum formas in numismatibus, quae quotidie in regionibus Ty-

1. Diod. lib. 3.
2. Eumolpius apud Clem. Alexand. Euseb. lib. 10. cap. 5. De praepar. Evang.
3. Lib. 1. cap. 6. De art. Gram.
4. In epist. ad Ricardum Tamisonum.

Tyri & Sidonis e ruinis effodiuntur, adhuc ait exſtare. Hebraicam enim linguam cenſet eandem eſse quae Chananaeis, hoc eſt Phoenicibus, erat in uſu Abrahami tempore. Res eſset expedita, ſi fides haberi poſset Joſepho Hebraeo, a quo accepimus Sethi liberos in duabus columnis, quarum altera lateritia erat, altera lapidea, rerum coeleſtium elementa ſibi obſervata conſcripſiſse. Graecorum autem non pauci Cadmo & Phoenicibus non literas modo, ſed omnes fere doctrinas acceptas ferunt, ut Critias apud Athenaeum 1. in eo verſu, in quo literas ſubſidium vocis ſane quam eleganter appellat:

Φοίνικες δ' ἔυρον γράμματα ἀλεξίλογα.

Phoenices invenerunt vocum adjutrices literas.

Et exſtant haec apud Laërtium Zenodoti de Zenone:

Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα τί ὁ φθόνος; ἦν καὶ ὁ Κάδμος
Κῆνος, ἀφ' ἁ γραπτὰς ἕλλὰς ἔχει σελίδας.

Es quidem patria Phoenix. Quis livor? erat,
Et Cadmus ille unde Graecia ſcriptam habet paginam.

Et Lucanus:

Phoenices primi, famae ſi credimus auſi Man-

1. Lib. 1. cap. 9.

Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Quae ſententia, collatis Phoenicum & Graecarum literarum imaginibus, plane comprobatur: ſiquidem figurarum eſt minima diſſimilitudo, eaque parva colliſione aut adjectione ſenſim enata. Nec leve argumentum eſt illud, quod ducitur a literarum nominibus, quae ſunt profecto Phoenicia. Unde Crateti Thebano de Grammaticis quaerenti, cur non diceretur ἄλφα, ἄλφατος; γάμμα, γάμματος; ut γράμμα, γράμματος; reſponſum fuit, quod non Graeca, ſed Phoenicia & barbara eſsent nomina. Sunt & qui multo ante Cadmum tempore literas in Graecia ipſa natas eſse contendant, inter quos Tzetzes: propterea quod aliter Cadmo reddi non potuerit celebre illud oraculum, & Bellerophon tabellas detulerit, quibus necis ſuae mandata continebantur: quorum me neutrum perſuaſerit: potuit enim oraculum edi ſine ſcripto, ſicut apud alias gentes, quibus certo ſcimus nullum illis temporibus fuiſse literarum uſum. Et Bellerophontem Cadmo eſse antiquiorem nemini, vel mediocriter erudito, probabitur. Etenim Cadmus aequalis fuit Siſypho Bellerophontis avo, a quo Corynthus condita

fuit

fuit triennio ante quam a Cadmo Thebae 1. Euſtathius vero tradit, literas diluvii tempore conſervatas a Pelaſgis, eoſque ob id divinos appellatos. Quam ſuis temporibus ait fuiſſe Graeciae univerſae ſententiam. Ab iiſdem Pelaſgis literas in Latium perveniſſe auctor eſt Plinius 2. Et Diodorus tradit, literas in Graecia fuiſſe ante diluvium pervulgatas, earumque memoriam ſimul cum caeteris artibus a diluvio intercidiſſe. Hinc AEgyptii Graeciae labem in ſuam vertere laudem, ac inventionem cum literarum, tum Aſtrologiae, tum ſelectiorum artium Graecis ereptam, ipſi prae ſe tulerunt. Porro literarum Pelaſgicarum reliquias in Graecia ſuperfuiſſe, vel illud indicio eſt, quod earum origines diverſis vocabulis nominentur, ac alterum Phoeniciarum, alterum Pelaſgicarum literarum genus ſit appellatum. Quapropter Joſephus in libro contra Appionem mihi videtur Graecis iniquior, cum non modo hanc vetuſtatis notitiam libenter ignoret, verum etiam contendat Graecos ad Homeri aetatem caruiſſe literis, negetque ullum fuiſſe Graecum ſcriptorem Homero antiquiorem.

Hunc

1. Iliad. 2.
2. Lib. 7. cap. 56.

Bayerische Staatsbibliothek München

Hunc illi errorem eripere poterat versus Iliados I :

Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

Scribens in plicata tabula multas vitae insidias.

Poterant eum admonere inscriptiones Homero, & Trojano bello antiquiores, & prae caeteris versus ille, quem in tripode incisum vidit Herodotus :

Ἀμφιξύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Illud vero demiror, hominem adeo in omni antiquitate versatum, nihil de tot scriptoribus ante Homerum celeberrimis cognitum habuisse; Lino scilicet, Philamone, Thamyride, Amphione, Orpheo, Musaeo, Demodoco, Phemio, Aristaeo, & nonnullis aliis. Verum ut ad propositum revertar, quaecumque de literarum origine disputantur, omnia mihi tenebrae sunt. Id constat unum, Latinos a Graecis, unde genus ducunt, etiam sumsisse literas, & cum Graeca, Latinam linguam perpetuo esse foedere conjunctam. Ac praeter caetera illud profecto maximum fuerit indicium, quod eaedem olim fuerint Latinorum, & veterum Ionum literae, quas in tabula Delphica, quae, te-

a. Lib. 17.

teſte Plinio, erat in Palatio, Minervae dicata, obſervare licuit, hac inſcriptione:

NAVCIKRATEC TICAMENOV
AΘENAIOC KORAI KAI AΘENAI
ANEΘEKEN.

Hodie legimus:

Ναυσικράτης Τισαμένυ Α'θηναῖος κόρῃ καὶ α'θηνᾷ ἀνέθηκεν.

Et obſervare eſt in marmoribus Farneſianis, quae ſunt in hortis ad Tyberim. Ac vix poterat Italia Graeca lingua carere, cum magnam partem Graecis eſset coloniis occupata. Praeter illam oram Italiae, quae Graecis inſtitutis & populis tota tenebatur, & ob optimarum artium ſtudia, & ſcientiarum, ac praecipue Pythagoricae doctrinae laudem toto orbe celebrabatur, ac ab univerſae Graeciae populis frequentabatur; ſi caeteras percurremus Italiae regiones, ubique aut longo terrarum tractu continuatas, aut ſparſas offendemus Graecorum colonias.

Commercium populorum doctrinarum commercia exceperunt, & Graeci ſermonis uſum ad ſcholas, & univerſa literarum ſtudia ſimul cum ipſis literis derivatum propagarunt. Etenim e Graecia, ubi vel inſtitutae

ſunt,

ſunt, vel educatae doctrinae, quibus oris & animi ruſticitas depulſa eſt, ac ipſa propemodum humanitas homini tributa, influxerunt in alios populos, & ad nos potiſſimum ſimul cum Graeca lingua penetrarunt. Nam ſimul ut inter Romanos diluxit eloquentia, recepta eſt in urbem Graeca lingua, & ei quodammodo civitas data. Vix enim ullus ante Catonem majorem probabilis orator eſt habitus. Hunc autem annis jam confectum Graecis ſeſe literis tradidiſſe ferunt. Quem morem conſequens aetas ita frequentavit, ut ſolenne eſſet omnibus, qui ſermonis & morum elegantiae ſtudebant, conferre ſe in Graeciam, ut ibi ſimul cum philoſophia & eloquentia, Graecae quoque linguae uſum addiſcerent. Celeberrima ſane fuit Athenienſis ſchola, ubi philoſophia & eloquentia, privatis veterum Philoſophorum diſputationibus excitata, poſtquam ſub umbra conſediſſet, migravit in forum. Pericles enim ac ejus aequales ab Anaxagora inſtituti, cum rerum naturalium notitiam, tum diſſerendi rationem ac eloquentiam inde ſuſceperunt. Quam philoſophiae partem Socraticorum ſchola, indeque profecti Peripatetici, ſumma cum laude propagarunt. In Graeciam autem

tem non Romani ſolum, ſed & barbari conveniebant : quorum illuſtris Anacharſis Scytha . Immo & Regum filii ad addiſcendas ingenuas artes & diſciplinas eo mittebantur, quod de Arryba Epiri Rege tradit Juſtinus. Hinc a Graecis grammaticis & criticis inventi ſunt accentus, quibus in exterorum uſum verborum ſonus certis quibuſdam numeris & temporibus diſtingueretur . Atque Athenis in primis non modo candor elocutionis eluxit, & proprietas vocabulorum ; ſed & ſuccus ille nativus , ac ſanguis incorruptus , minimeque fucatus orationis nitor , ibi maxime conſervatus eſt & excultus, quem aetas poſterior novis & exquiſitis ornamentis adeo reſperſit , ut dum ſermonem , ſive Graecum ſive Latinum , eximia ſuavitate condiret, vigorem extenuarit , & nervos robuſtae ſanaeque dictionis inciderit . Athenienſi ſcholae proxima fuit Rhodia , ingenuis artibus atque eloquentia ſane percelebris ; & vel ob unum Ciceronem a Milone Rhodio perpolitum & excultum , ſane dignam , quae ſummis laudibus efferatur .

Diſcurrentibus Alexandro duce una cum Graecorum armis etiam artibus & inſtitutis , in multis regionibus

bus doctrinarum ſcholae fundatae fuerunt: quarum celeberrima fuit Alexandrina, ubi exemplo AEgyptiorum, qui ſingulis morbis certos adhibebant medicos, tanta fuit medicae artis celebritas, ut qui operam iis doctoribus dediſſet, apud alias nationes in ſumma eſſet exiſtimatione doctrinae. Atque haec ut eloquentia & philoſophia ceſſerit Atticae; tamen poſt acceptam a Chriſti diſcipulis veram religionem, divinarum legum interpretatione, ſacrarumque diſciplinarum cognitione, caeteras longe ſuperavit. Hinc enim & ſubtilior interpretandi ratio, & acumen inveſtigandi, & diſputandi vis orta eſt. Hinc eruditio eſt profecta ſelectior, quae abditos theologiae ſenſus recludit, & divinitatis arcana reſignat. Hinc veterum patrum eruditiſſimus Clemens Alexandrinus exſtitit, hinc Origenes, hinc verae ac incorruptae religionis propagator, & errorum vehemens exagitator Athanaſius prodiit. Hinc Cyrillus arma vireſque ſumſit in Neſtorium contendendas. His aliiſque viis Graeca eruditio in omnes terrarum oras dilapſa eſt: poſteaque translato ad Graecos per Conſtantinum imperio, doctrina Graecorum longe lateque peregrinata, ſe ad natale ſolum

lum revocavit, & obrepente barbarie sensim elanguit, ut efferatorum hominum armis exagitata concide-rit.

Non mirum igitur si Graecorum lingua apud omnes omni tempore fuit incolumis: quia quamvis diuturno imperii praesidio fuerit destituta, tamen studiis disciplinarum, copiaque librorum, ac inventione omnium artium & facultatum in gentes, ac aetates manavit universas. Quod secundum Graecam, linguarum nulli contigit praeterquam Latinae, cui terrarum oras omnes aperuit imperii majestas; quae tanti fuit, ut non modo populos inter se regionibus moribusque disjunctos, sed scientias etiam & artes, quotquot Graece traditae fuerant, Romanae linguae commercio comprehenderit. Quod de vulgaribus linguis sperare minime fas est: deest enim illis & amplitudo imperii, & inventorum dignitas, & auctoritas antiquitatis, & consensus denique universorum. Quamobrem uni scriptores Latini (Graeca enim non ad usum, sed tantum ad intelligentiam plerumque addiscitur) inventis, cogitationibusque suis perpetuam vitam nullis finiendam limitibus comparaverint. Atque his tibi utilitatem solum

Latinae linguae propoſui. Voluptas vero eſt illius tanta, quantam, ſi Graecam exceperis, aliarum linguarum habet nulla. Uſque adeo & ornari poteſt, & contrahi modo, modo laxari, ac ad numerorum & ſententiarum varietatem flecti, & verborum luminibus mirisque translationibus illuſtrari. Habet enim illa, ſimiliter atque Graeca, quo praeſtet caeteris: nempe varietatem terminationis, qua ſingularum vocum certas & praecipuas affectiones ſive caſus in nominibus, perſonas in verbis, numerum in utriſque, notet atque diſtinguat. Hinc ad numerorum & ornamentorum rationem duci verba poſſunt arbitratu dicentis: ita ut ſententia minime obſcurata perturbatave trajectis verbis numeroſe atque concinne cadat oratio. Quibus ornamentis omnibus vulgares linguae carent; quoniam earum voces plerumque unica terminatione proferuntur, & ſignis tantum præpoſitis earum variae affectiones enunciantur: idemque ſermo verborum trajectionem, qua maxime numerus conficitur, minime patitur, neque fert latiorem excurſum, ac liberam partium collocationem, nam niſi eadem ſemper utaris compoſitione verborum, ſententiam facillime obrueris

& obſcuraveris : ut qui voluerint in vernaculis linguis idem experiri quod in Latina, eruditiſſimi illi quidem, & dum Latine dicerent eloquentiſſimi; tamen habiti ſint in vernacula, putidiuſculi. Latinis autem verbis ſententiae concluduntur gravius, & validioribus nervis ſingulae partes uno deductae ambitu contorquentur: cum ſermo vernaculus laxus plerumque ſit, atque remiſſus; ſaepius enim ſententiae verbis, quam verborum collocatio ſententiis eſt accommodanda: quia non licet arbitratu ſcriptoris orationis locare partes.

Mitto nunc Latini ſermonis leporem & veneres, mitto vocabulorum ubertatem & ſignificationum foecunditatem, mitto particularum, quae quaſi orationis fibrae ſunt, multitudinem, nexuſque facilitatem & gratiam, mitto verborum copiam jam diu ab antiquiſſimis ſcriptoribus ad uſum artium & doctrinarum comparatam, mitto elegantiam, mitto majeſtatem, & in ipſo verborum ſono imperium conſulare. Nihil commemorem quantopere flexilis ſit & facilis ad omne genus orationis; quam gravis in ſublimi dicendi genere, quam ſuavis in mediocri, quantum in humili perſpicua, atque dilucida.

Praetereo accentuum varietatem, & consonantium atque vocalium literarum permistionem, quibus tantus lepos sermoni conciliatur, si apte componantur voces, ac intermisceantur, ut nihil numerosius incidat in aures, nihil in animum illabatur jucundius. Nihil tandem attingam de luminibus verborum & translationibus, quae magnam partem scribentium artificio tribuuntur. PR. Id nunc ipsum est de quo maxime tecum dissentio. Nescio enim an pro suo quisque jure transferre verba in lingua Latina possit, sicut in vernaculis. In lingua enim quam nec a nutrice haurimus, nec arripimus a consuetudine populari, verba novare atque transferre, res profecto est plena periculi. EM. Transferas per me licebit, si vocum singularum proprietatem, & nativum germanumque sensum fueris assequutus; idque modeste facias & verecunde, ac modum ut decet adhibeas. Quid enim? anne tibi videtur absurdum si dixerim, translatione sensum verborum minime immutari? PR. Quid nî videatur? Quid enim aliud agimus quum verba transferimus, nisi quod, depulso nativo sensu, similem alium vocibus consignamus?

EM. Falleris. Qui enim sensus ini-

initio vocabulis est innatus, is haeret perpetuo, nisi barbarie populorum, aut corrupta consuetudine oblitere-tur. Quoad enim usus communis germanum, ac nativum sensum verbis tribuit, nunquam translatione perimitur, aut mutatur ejus verbi significatio; sed species potius alterius rei vertitur in alteram, quod tibi exemplo patefaciam.

Sumamus verbum *lambere*. Sane quoquomodo illud verses, nunquam impetrabis ut significet abscindere, rigare, mordere, aut aliud quidpiam. At si verbo *lambere* praeponas *flammam*, eique subjicias *trabes*, ut haec prodeat oratio: *flamma lambit trabes*; tunc nihil huic verbo de veteri significatione detractum erit, quia nihil hic aliud significat quam lambere, lingua; sed tantum linguae imagine flammam indues, linguam & flammam communi quodam attributo complectens. Quoniam igitur linguae proprietas est flammae communicata, & altera in alteram conversa, speciem, jamque flamma sub imagine linguae nobis objicitur; ideo mens, quae duo illa quodammodo simul confundit, adjunget eis verbum *lambere*, in cujus significationem flamma conversa est. Nulla est igitur, si

ad ſenſum vocabulorum reſpexeris, vera translatio, ſed ſpecierum tantum communio ſit imaginumque converſio. Siquidem igitur verborum proprietatem teneas, & communia rerum attributa recte noveris atque commiſeris, nunquam in verborum uſu peccaveris. Manet enim in translationibus nativa ſignificatio vocabulorum incolumis, quia nunquam ex una voce mens novum aliquid concipit, niſi idem illud aſſumſerit imaginem nativa illius vocis ſignificatione comprehenſam. Quocirca, *ſumma me voluptate perfudiſti*, recte dixeris, nec tamen hic verbum *perfundere* aliud ſignificat, quam quum dicitur aqua perfundere. Sed quia mens ſub imagine aquae voluptatem facile concipit, ideo *perfundendi* verbo *voluptas* adjungitur: converſa eſt enim voluptas in aquam, atque adeo in imaginem verbo *perfundere* inditam.

Quamobrem qui recte ſapiunt, veteres comicos nunquam amittent e manibus: quoniam hi prae caeteris propter proprietatem ſermonis & popularem loquendi conſuetudinem nativam reddunt verborum ſignificationem, qua cognita, tutiores in translationibus erimus ac feliciores.

PR.

PR. Quoniam ad auctores dilapsus es, coepistique digitum ad fontem intendere; perge porro reliqua: ne si quando animum ad haec studia instituero, imperitia labar, omissoque scriptorum delectu, aut operam prorsus perdam, aut cogar oberrare diu.

EM. A Etates tibi, Procule, ut cum maxime notandae sunt, & earum discrimen animadvertendum, quo meliores scriptores secernas a caeteris, teque tradas iis, quorum sincerior dicendi ratio est & incorruptior. Ac aetatis sane veteris, quae a Livio Andronico ad Terentii tempora perfluxit, arripere multa possis, dummodo judicio utaris, & delectu vocum, rejectaque horriditate sermonis, quod temporum illorum vitium fuit, ea tantum retineas, quae a Ciceronis aevo, ejusque saeculi auribus minus abhorrent. Plauti fabellis, si vetustatis vitia detraxeris, nihil uberius, nihil purius, nihil ad mores omnes, atque animi commotiones, resque singulas, quae orationem incurrant, accommodatius. Cultior est sane Terentius, & pressior, atque limatior; &, ut in eruditiori saeculo, ita compositus & elegans, ut complecti possis totum. Plautus tamen fudit se latius; ita ut plus tuleris si ex eo me-

liora carpseris, quam si Terentium voraveris integrum. Flos vero latinitatis & nitor, Ciceronis aevo fuit. Quis enim Varrone cautior? quis Caesare purior? quis Lucretio & Catullo simplicior? &, nisi ad historiae stylique illius majestatem accommodata vetustas delicatulos offendat, quis integrior Sallustio? quis Nepote sincerior? quis ipso tandem Tullio in tanta translationum copia incorruptior? quis elegantior?

Nativa haec & incorrupta latinitas ad Augusti aetatem in omnibus ejus aevi scriptoribus viguit: nempe Virgilio, Tibullo, Propertio, Ovidio: inclinavit vero ab Augusti morte, propter colluviem peregrinorum, & exterorum dominationem, quorum regia ut peregrinis moribus, ita & verborum insolentia scatebat: indeque barbaries sensim influxit in urbem, novaque multa in posterioris aevi scripta cum vocabula, tum etiam dicendi genera, irrepserunt: ut ii scriptores ipsis Latinis vocibus adhibitis, novam quandam reddiderint compositionem verborum atque commissuram, a quibus aures Romanae, sermonique purioris saeculi assuetae, plane refugiunt.

Quod aetatis vitium Quintiliano

& Se-

& Senecae, viris illis acutissimis, subo-luerat. Hic etenim in prologo primae declamationis, *Ut possitis* (inquit) *aestimare quantum quotidie ingenia decrescant; & nescio qua iniquitate & ad malum pronitate naturae eloquentia se retro tulerit. Quicquid habet Romana facundia quod insolenti Graeciae aut opponat, aut praeferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia quae lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt. In deterius quotidie data res est..... ut ad summum perducta, rursus ad infimum velocius quam adscenderant velabantur.* Quintilianus vero aetate sua nihil puri, nihil integri reliquum esse in lingua Latina, sed ubique fucum esse, scribit lib. 9. cap. 3. *Verborum figurae & mutatae sunt semper, & utcumque voluit consuetudo mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, pene jam quicquid loquimur figura est: ut* Huic rei invidere, *non* (*ut omnes & Cicero praecipue*) Hanc rem: & incumbere illi, *non* in illum, & plenum vino, & *non* vini: & *huic non hunc jam dicitur, & mille alia, utinamque non pejora vincant. Quid multa? totus prope mutatus est sermo.* Et Seneca ep. 39. *Commentarios quos desi-*

deras, diligenter ornatos & in angustum coactos, ego vero componam; sed vide ne plus profutura sit oratio ordinaria, quam haec, quae nunc vulgo breviarium dicitur: olim cum Latine loqueremur, summarium vocabatur. Agellius quoque sensit Latinis verbis significationem inhaesisse aliam prorsus a nativa. *Animadvertere est* (inquit) *pleraque verborum Latinorum ex ea significatione, in qua nata sunt decessisse, vel in aliam longe, vel in proximam; eamque decessionem factam esse consuetudine & inscitia temere dicentium, quae cujusmodi sint non didicerint.* Neque hoc latuit auctori dialogi de claris oratoribus, ubi Maternus ait, *in quoque verbo quotidiani sermonis faeda & pudenda vitia deprehendi.* Alia praetero quae diligenter collegit Adrianus Cardinalis in aureo libello de sermone Latino, cui egregiam dissertationem praefixit, ubi Latinos scriptores in quatuor descripsit aetates. Extulit tamen posterior aetas nonnullos, qui vitiosae consuetudini cultu, & delectu verborum obstiterunt; ac praecaeteris jurisconsulti, quos interpretandi necessitas in assidua legum antiquarum, & veterum vocum investigatione detinebat: quo ex studio

in-

inhaesit eorum dictioni prisca verborum proprietas & dignitas; ut nisi eorum orationem Tribonianus interdum sui saeculi sordibus infuscasset, nihil eorum scripta legentibus occurreret vitiosi.

Qui vero animadversionibus suis, & praeceptis, atque observationibus in hujus studii cursu te ducant, habebis ex recentiori aetate non paucos. Praeter Vallam, qui facem primus sustulit, plurimum ad emendationem sermonis contulit Adrianus Cardinalis, cujus proxime a nobis facta mentio est; Bartholomaeus Riccius cultissimus scriptor in suo *Apparatu linguae Latinae*, & observationibus suis Antonius Schorus, & qui plura ex istorum observationibus in suas transtulit Gifanius. Thomas Linacer rationem emendatae structurae tam diligenter tradidit, ut nihil observatione dignum praetermiserit. Henricus Stephanus de latinitate falso suspecta, sane quam diligenter scripsit: utinam hanc operam ad vitia sermonis notanda convertisset: quod nuper conatus est Vorstius quidam, a quo duplex est suscepta tractatio: de falso & merito suspecta latinitate: haud pari cum caeteris laude, siquidem nil praeter quam communia quaedam observat & trita.

Vossius id egregie praestitisset, si cum vocabulis, vitiosa dicendi quoque genera notasset in libro *De vitiis Latini sermonis*. Particularum usum & vim praeter Godescalchum SteWechium explicavit egregie Tursellinus: an potius Scaurus vetus grammaticus? cujus veterem codicem nuper in Germania esse repertum, ab hominibus fide dignis accepi. Paraei Lexicon criticum alicujus esse usus potest, quamvis ex abstrusioribus multa sint ab eo praetermissa. Verborum differentias diligenter notavit Popma. Quid commemorem Nizolium, & Carolum Stephanum, quorum thesauris dictionis Tullianae studiosi vix est ut sine sua fraude careant. Terentiana & Tulliana dicendi genera Manutius commode recensuit: longe vero melius ac ordine utiliori Paraeus, qui & Plautina eodem congessit, integris locis adductis, atque ad singula capita revocatis. Godescalchi observationes nihil moror: nullum enim ibi judicium, nullum auctorum delectum, ordinem denique nullum deprehendo. Commentarios Stephani Doleti, oblata facultate quovis pretio reparaveris. Perpauca enim exstant exemplaria.

Nunc ne in vulgarium grammati-

ticorum colluviem demergaris, ex inanium & morosarum observationum ambagibus evolvam te, ducamque ad eos, qui artem grammaticam faciliori via, & firmioribus ac pauciioribus tradidere praeceptis; & ea, quae firmis observationibus, fidisque scriptorum exemplis constituta per eos sunt atque fundata, e philosophorum rationibus eruerunt. Primus adversus vulgares grammaticos classicum cecinit Augustinus Saturnius, vir in confutando acerrimus, ac in observando acutissimus; sed imbutus & ipse vulgari doctrina, contendit saepe pro viribus, non tamen se omnino explicavit, nec tam in inveniendo, quam in notandis aliorum lapsibus valuit. Excitavit tamen illius vox delitescentem diu in vulgarium grammaticorum sordibus studiosorum turbam; ut vir ingenio doctrinaque mirabilis Julius Caesar Scaliger gravissimos illos *De causis linguae latinae* commentarios in medium produxerit: quibus in libris singularum partium orationis vim atque naturam subtilissime investigavit & prodidit, σωντάξεως artem minime attigit. Exortus est tandem Franciscus Sanctius Hispanus, qui rationem collocandarum partium, sive σύνταξιν, non modo

do

do ex optimis obſervationibus, ſed e philoſophorum fontibus arceſſivit; & quicquid ſcriptorum exemplis ac teſtimoniis comprobavit, ex ipſa natura deduxit. Hinc vulgarium regularum inexplicabiles nexus feliciſſime diſſolvit, ſuaſque ipſe protulit ſimpliciſſimas, quas Scioppius & Voſſius cupide arripuerunt; nec modo luminibus inde excitatis latinitatem illuſtrarunt, ſed ad puerorum uſum Sanctii praeceptiones formarunt atque flexerunt. Verum exſtitit nuper ſcientiarum optimorumque inſtitutorum omnium fax Arnaldus, qui grammaticam artem ad ſimplicem & communem linguis omnibus rationem revocavit. Quo ex libello non orationis modo, ſed & ratiocinandi cauſſas facillime deduxeris. Quæ in hunc libellum ex Scaligero & Sanctio influxerunt, omnia ſunt explicata ſubtilius. Illud vero quod de naturâ verbi traditur, ſive de ſubſtantivo, quod vocant, verbis omnibus indito, Saturnii eſt inventum. Apud illum quidem informe ac obſcurum; ab Arnaldo vero ſuae luci redditum, ac feliciter explicatum.

Hanc autem Arnaldi doctrinam explicavit latius, atque ad linguam Latinam contulit, & ad uſum puero-

rorum praeceptis ſane quam pauciſſimis & ſimpliciſſimis concinnavit eruditiſſimus Lancellottus, qui eo libro, quem novam linguae Latinae viam inſcripſit, attexuit ad Arnaldi rationem quicquid utilius in lingua Latina Scioppius, & in ſuis de arte grammatica voluminibus Voſſius obſervarunt, ut in hoc uno libro a tot vulgarium grammaticorum nugis, quibus juventus miſerrime teritur, te feliciſſime, non ſine laboris temporiſque compendio, vindicaveris. Habes breviter rectam addiſcendae linguae Latinae rationem: nunc iis quos procul nobis obviam venire cernimus operam demus.

J. VIN.

EIZ

J. VINC. GRAVINÆ

Jurisconsulti

DE

CONVERSIONE

DOCTRINARUM.

AD

J. GABRIELEM

REGINERIUM.

INstituentibus nobis, Regineri doctissime, de re literaria disputare; ac tecum una scientiarum statum percurrentibus, saepe in sermonem injicere soles, ac mirari, &, quae tua humanitas est, dolere simul, labantem Italiae doctrinam, ac prope jacentem. Cum ea regio, in qua splendor, & elegantia, florentibus Romanorum opibus, nata est, & multis post saeculis, quamvis convulso jam imperio, restituta, nunc non modo videatur hujus laudis praesidio

fidio ſpoliata; ſed in ſummam bonárum artium ignorationem pene demerſa. Qui ſane ſtatus cum pluribus nationibus lugendus ſit; quippe quibus leges tam bene vivendi, quam recte ſentiendi, ac ipſa propemodum humanitas ab Italia primum affulſerit; tum maxime nobis eſt perpetuo deplorandus, quibus poſt ereptum imperium armis partum unus ſupererat doctrinae ſplendor & eloquentia: qua ſi non corporibus: at animis tamen hominum imperabamus. Nam etſi poſt imperium in Graeciam adſportatum, & Italiam barbarorum armis divexatam, Itali ab omni cultiori ſcientia & ſermonis ac morum elegantia relicti fuerint; emerſerat tamen quatuor fere ab hinc ſaeculis priſca dignitas, auctore potiſſimum ac vindice Franciſco Petrarcha, hominе ſupra quam tempora ferebant erudito atque diſerto: qui bonarum artium inſtitutionem. Italiâ jam abactam atque depulſam, a veteribus fontibus arceſſivit, bonaque ſtudia longo jam tempore intermiſſa revocavit. Is enim veteres oratores atque poëtas unde fuerant barbarie dejecti reſtituit, & eloquentiam reduxit jam diu exſulantem. Ejus exemplo (ut hominum ingenia ſtatim atque favil-

la inciderit, exardescunt) affectum jam opus, egregie fuit a nostris pro re nata continuatum, atque adeo confectum: eoque melius omnia processerunt, quod ad cultum latinitatis studium Graecarum literarum, quod caput est omnis eruditionis, accessit. Postquam enim Graecia in barbarorum potestatem redacta est, ea vastitas pervasit florentissimas olim orbis universi regiones, ut coacti fuerint homines eruditi, qui id temporis erant, conspiratione animorum facta, patrios lares cum peregrino solo commutare, avectaque secum Graecorum doctrina, in Italiam, velut in aram, confugere. Quae calamitas quantum detraxit Graeciae dignitatis, tantum adjecit Italiae fluentibus ad nos optimis artibus, quas ferox & asperum barbarorum ingenium crudeliter misereque vexabat. Itaque Graecia semel atque iterum scientiarum lucem attulit Italiae. Quas enim artes olim Romani Graeciam occupantes per se sumserant, deinde amiserant, easdem in Italiam fuga compulsas recuperavimus, per Emmanuelem potissimum Chrysoloram, Bessarionem, Trapezuntium, Gazam, Argyropulum, Chalchondilam, Lascarem. A quibus Graecis literis eruditi Leonardus

Are-

Aretinus, Philelphus, Guarinus, Poggius; & per totam Italiam scholae Graecarum literarum fuerunt institutae: ut inter hos demum Laurentius exstiterit Valla, qui felicius exspectatione omnium operam eloquentiae navavit, & post extinctam latinitatem, tum ipse princeps est in Latina urbe latine loquutus, tum latine dicere alios docuit. Haerentem enim adhuc barbariem, insolentiamque verborum clam in aliorum scriptis incubantem, unus Valla detexit: & cum ex eo multum offensionis haberet, non sine capitis periculo profligavit. Quo tempore literis, jam latus attollentibus, dexteram porrexit Nicolaus V. summorum Pontificum de scientiis optime meritus: qui, ut opus procederet, non solum doctis viris opes & alimenta suggerebat; sed veterum libris ingenti pecunia reparatis, ac toto orbe diligenter exquisitis, convalescentes doctrinarum radices confirmabat. His ducibus humaniores literae universam Italiam pervagatae trajecerunt alpes, unoque tempore non ex Italia modo, sed e remotissimis quoque regionibus priscum Graecorum & Latinorum ingenium eluxit. Consentia namque dedit Janum Parrhasium, vel cum

doctis-

doctissimis veterum ingenii subtilitate, interpretandi facilitate, proprietate loquendi, & antiquitatis notitia comparandum; & Pomponium Laetum, vetusti moris atque elegantiae vindicem. Etruria Politianum ingenio amoenissimo atque acutissimo, non solum vertendis veteribus, & illustrandis, sed imitandis iisdem & exprimendis, alligata, & soluta oratione tum patrio, tum Latino sermone felicissimum: Petrum Victorium: &, ut alios praeteream, Acciajolum, summo genere atque insigni doctrina virum. Venetiae vero Hermolaum Barbarum, eruditione, atque eloquentia praestantissimum. Quos excepe-runt Erasmus, Reuclinus, Budaeus, Morus; quorum alter Belgium, alter Germaniam, alter Galliam, postremus Britanniam, Graecis & Latinis copiis locupletavit. Porro cum hi, horumque similes, illustrandae antiquitati operam darent; exstitere in Italia Bembus, Sadoletus, Bartholomaeus Riccius, Jovius, Julius Camillus, Majoragius, Navagerius, Sigonius, Paullus Manutius. In Germania Longolius, in Gallia Muretus, aliique complures, qui prae caeteris studiis Latinam eloquentiam complexi sunt, ac Ciceronis in dicendo

do divinitatem ita ſuſpexerunt, ut ei ſe totos dediderint; ac in eorum ore temporibus alieniſſimis non modo germana & nativa latinitas, ſed vox etiam Tulliana reſonarit. Poëtarum autem veterum ſplendor, vis, ubertas, & artificium in noſtris hominibus ita revixit, ut ſecundum Virgilium, Catullum, Horatium, eoſque omnes, qui aurea, quam vocant, aetate concluduntur, collocandi merito ſint Sanazarius, Capycius, Rota, Fracaſtorius, Cotta, Vida, Antonius Teleſius, & ejus civis Martyranus, Navagerius, Caſtalio, Flaminius, Pontanus, ipſomet Scioppio, homine Germano, ſuadente, vel certe non repugnante. Hiſpanias, ne ſingulos attingam, e tenebris eripuerint hi celeberrimi literarum reſtitutores, Nebriſſenſis ſcilicet, Pincianus, Ludovicus Vives, vir in judicando acutiſſimus, ac in dicendo elegantiſſimus, & Franciſcus Sanctius, grammaticorum cum novorum, tum veterum princeps: quippe rationibus tam ſimplicibus grammaticos nexus explicavit, ut obſervationum & regularum infinitatem ſumma cum utilitate reciderit, loquendique uſum, & collocationem partium (quam Graeci σύνταξιν appellant) ad tam vera

cer-

certa initia revocaverit, ut grammaticam tractans, summum se philosophum praestiterit; & cum varietate lectionis concesserit nemini, scientia vicerit cunctos. Utinam compendiariam viam, quam ille patefecit adolescentibus, praeceptorum avaritia non intercluderet. Verum eloquentiae Latinae, cujus primas meo judicio fert Italia, Gallia vestra multiplici eruditione, abstrusaque vetustatis universae notitia, & infinita linguarum cognitione respondet. Ut enim Lambinum mittam, Turnebum, Ramum, Petrum Fabrum, Petitum, aliosque complures, quorum memoria me fugerit; in unius Josephi Scaligeri magnum, uberrimum, ac admirabile ingenium confluxit, quicquid post homines natos mandatum est literis, quicquid est in obscurissima vetustate reconditum, quicquid illustrius in universarum gentium linguis confusum fuerit & dissipatum; ut tenebrae nobis summi viri doctrinam recolentibus oborientur. Is adjungi sibi non indignabitur Casaubonum, Bochartum, Salmasium, quorum ingenia in te, Regineri doctissime, suboriri praesentio, &, quod magis mirer, aetate non confirmata: ita ut si quod nunc parturis, aliquan-

quando parias, minus sit Gallia doctrinam illorum & acumen desideratura. Jurisprudentiam autem Romae natam & cultam, ac subinde nugarum mole depulsam, Nebrissensis, Budaeus, Alciatus sublevavit: in lucem vero evocavit Connanus, Duarenus, Brissonius, Donellus, Baro, Revardus, Vinnius, Grotius, Antonius Faber, & qui jus omnium & industriam circumscripsit, Cujacius: per quem simul cum veterum jurisconsultorum scientia, Jureque Romanorum tum publico, tum privato, mens ipsa veteris reipublicae reddita mortalibus fuit, & aeternitati mandata. Cum admodum homines antiquitatis studio tenerentur, dum verba vestigarent, res ibi concluſas deprehenderunt. Nam evolvenda vocabulorum significatione, scientiae veluti sublato velo, sensim eminebant, ita ut his vestigiis ad caput sapientiae perventum sit. Etenim ingenium hominum per varios eruditionis tractus, tandem ad portum doctrinarum, nempe ad vetustiorem & saniorem philosophiam longo cursu fuit appulsum: ut post tot saecula demum eruperit se Bernardinus Telesius Cosentinus, vir elegantioribus literis ornatissimus, qui primus a veterno resipuit, & vulga-

garem phyſicam, dîs iratis natam, pro viribus fugavit, ejecit, obtrivit: e cujus ſchola doctiſſimi per Italiam homines emiſſi ſunt; inter quos Stelliola, Franciſcus Mutus, Campanella, Severinus; qui cum Franciſco Patricio Senenſi, viro in confutandis erroribus acerrimo, ac omni eruditione cumulatiſſimo, ſuas junxere copias, & infeſta ſigna praeſtigiatoribus & fanaticis intulerunt. Exſtat enim Franciſci Muti pro Patricio defenſio. Ac ex his unus Teleſius de rerum univerſitate veterum philoſophorum more diſſeruit; ut eum jure Verulamius novorum hominum primum appellet. Caeteri magis ad alienum opus oppugnandum, quam ad ſuum inſtituendum valuerunt. Dum inter hos acerrime contenditur, ecce mirus tibi philoſophorum conſenſus, atque concentus exoritur. Prodiit enim Nola Jordanus Brunus, Florentia Galilaeus, e Britannia Verulamius, e Dania Copernicus, e Gallia Gaſſendus, ac denique Carteſius, cujus qui doctrina ducuntur, non tam hominis, quam naturae vocem arbitrantur. Verum ſentio te ſpectantem quorſum ſim evaſurus, ac mirantem cur huc ſermo tam longe repetitus excurrerit; nempe ut intelligas qua-

lis

lis meus dolor sit, cum non me fallat quas olim partes egerimus in fabula; & tamen Italorum res huc videam adductas, ut quorum scripta jam dudum exempla erant exteris nationibus, nunc, si pauca quaedam excipias, jocus eadem sint & ludibria. Quae tamen vitia, nisi velis iniquus esse judex, quod de te suspicari vix licet, non ingeniis, sed consuetudini potius assignaveris. Nuper enim malis avibus inter nos tam prava judicandi ratio penetravit, ut si quis natura feratur ad eloquentiam, sinceramque doctrinam, pessimorum librorum usu, ac pravo multitudinis judicio, ab opere recte instituto detorqueatur. Non enim scriptoribus, sed monstris, animi studiosorum obsidentur, ac non virtutibus orationis, sed infucatis vitiis rapiuntur: & si vitiosi libri desint, a novorum audacia conscribuntur, stylo tam tumido, tam insulso, tam agresti, tam putido, ut cum ab eorum lectione quis abierit, ad circum potius quam ad forum sit idoneus. Per fortunas quis ferre possit, Plautum, Terentium, Ciceronem ipsum, ab Appulejo, Sidonio, Ausonio, Marciano; Horatium a Juvenali & Persio; Virgilium, Catullum, Propertium, Tibullum, Ovidium,

a Lucano, Statio, Claudiano, Martiali, Silio: Salluſtium, Nepotem, Caeſarem, Livium, a Floro, Sueto-nio, & homine ſuorum temporum barbarie digniſſimo Marcellino, ſuperatos? Et tamen aequo animo pateremur, ſi his limitibus furor iſte, contineretur. Sunt enim hi ſcriptores, ſi non pure ac Romane, docte, tamen & erudite; immo niſi modum exceſsiſſent, magnifice, ſplendide, ac artificiose loquuti. Sed quo ſtomachemur magis, partus ſuos putidiſſimos, abortus ſtudiorum, & ingenii ſui foetus immundiſſimos, in veterum, ac optimorum locum, Attici ſcilicet ſcriptores noſtri ſubjiciunt; ita ut quivis ſanus graviter exarſerit, cum viderit leporem a ſcurrilitate, magniloquentiam a tumore, munditiam a ſordibus, & nativum Romani oris ſonum ab importuna peregrinitate fugatum. Cumque hoc aeſtu jactemur, utinam mature liceret emergere; ac ſi non ad portum doctrinarum, quarum etiam adſpectum nobis deliria novorum ſcriptorum eripuerunt, ad otium ſaltem atque ad umbram aliquando ſecedere. Implicant annos noſtros vulgares grammatici nodis ſuis, adeo tenaciter ſimul ac infeliciter, ut cum totam puber-

tatem ſub his tortoribus traduxerimus, ſcribentibus deinde nobis nihil tam familiare ſit, quam ſoloeciſmus. E quibus laqueis cum evolaverimus, credas ne nos in naturalem libertatem receptũ iri? immo tum in majores plagas incidimus, quum per tenebricoſam illam Gotthici moris ſapientiam, procellam mentium, ſcopulum veritatis, ac errorum turbinem, circumagimur. Nam dum viam ad ſapientiae culmen affectamus, perpetua tum rerum, tum verborum caligine mergimur. Quibus in ſtudiis qui juventutem exercuerint, in certamen literarum prodeuntes (quod ſatis fidenter faciunt, ne dicam arroganter) nuſquam haerent, nullam difficultatem refugiunt, nil non attentant, nullum non continuo nodum explicant, atque ita feliciter, ut ſi de natura lucis & umbrae interrogentur, ipſi (vide quaeſo quam ſint ſuaves!) cura ſeſe ſtatim expediant; & abunde ſibi ſatisfaciunt, & aliis ſatisfeciſſe videri volunt, ſi *lucem luciferam, umbram umbriferam qualitatem* eſſe reſponderint. Papae!

Thalem talento non emam Milesium. Et tamen (prô deûm atque hominum fidem!) ex hac paleſtra confeſtim in comitium advolant, ſumtaque toga candida, proemium adeptae ſapien-

tiae , petunt honores , & impetrant, atque ita impetrant , ut nobis humi jacentibus vix detur ad eorum culmen posse suspicere . Sic demum Italia , bonarum quondam artium praesidium, arx doctrinarum , fons elegantiae , nunc ampullis , ineptiis , & deliriis obruitur . Cumque hac pessima judicandi ratione plurium honos & fama contineatur ; si quae vox unquam justi doloris erumpat , eorum auctoritate statim opprimitur ; ita ut certorum hominum dignitas universorum civiũ ignorantia confirmetur . Ergo cum omnes honorum aditus vitiosa doctrina jam obstruxerit, bonae artes,quibus merces ab indoctis & improbis intercipitur , alimento subducto , apud nos languescunt & pereunt . Nam principes, quorum sola benignitas artes alit, plerumque gravioribus curis occupantur : aut si quando doctorum virorum studio tenentur , eruere coguntur eorum notitiam a suis , qui saepe non doctiorem hominem producunt , sed commodiorem : ita ut vilior aliquando merx publico sumtu comparata bonis principibus inducatur . Et cum optimi quique aliena diligentia concludantur; ideo saepe contingit , ut sub optimo principe , optimis magistratibus , inque innocentissima regia , erudi-

diti quum petunt, non modo non admittantur, ſed ne reſpiciantur quidem. Unde ſub ſtudioſo doctorum hominum principe doctis tamen viris aliquando eſt iniquiſſime comparatum. Etenim tum quiſque quo indoctior, eo audacior, perrumpit, & ad honores doctis viris principis voluntate paratos per doctrinae ſimulationem obrepit: docti vero, quos modeſtia ferme comitatur, ab audaciſſimis victi repulſam ferunt, ac immotis oculis intueri coguntur honores ab impudentiſſimis & paratiſſimis ſibi praereptos, & operoſarum apum labores ab ignaviſſimis fucis abſumtos. Eoque docti viri majorem injuriam ſub bonis, quam ſub malis principibus accipiunt, quod ſpe deſtituto nihil tollitur, ad ſpem autem erecto, tanquam conſcio juris ſui, ſi denegatur, eripitur. Nam ſub tyrannide cum juraſileant, & rerum potiatur communis hoſtis bonorum, eruditi dignitatis gradus a ſe putant alienos: unde vacant illi quidem honore, ſed non carent. Legibus autem imperantibus, docti viri, & ad rempublicam gerendam idonei, ſi ſibi honores manu aſſererent, jus ſuum experirentur: a quibus ſi per opes & gratiam arceantur, eadem afficiuntur injuria, quaſi

vi & armis a justa possessione dejicerentur: cum humano divinoque jure magistratus, & honores, non opibus & gratia, sed virtutibus & literis decernantur. At, quod omnem spem literis adimit, temporibus corruptissimis, in quae nos incidimus, virtus & doctrina, non tam merita sunt, quam odium & molestia: cum potentiores & opulentiores, qui plerumque voluptatibus indulgent, ne tacite sua sibi desidia exprobretur, doctrinae lucem, & sapientiae faciem reformident. Quod si privata unquam auctoritate barbariem infecteris, vitiaque doctrinarum invictis rationibus castiges, irritabis, ut ajunt, crabrones; ac scurras & poëtastros obstrepentes, inscitiamque suam rabie munientes, ac animi tumorem latratibus exoneran-
tes, in te statim incitabis, quorum morsus, ut cimicum, si ad animum non perveniant, cutem tamen exasperant. Quamvis enim summa laus doctorum hominum sit ab improbis & sacrilegis vituperari, & quivis amaverit Phormiones & Thrasones habere censores; tamen ut impudentissimas calumnias contemseris, nauseam certe rusticae scurrilitatis vitare vix possis: tum praesertim cum videas ad horum inficetam & impuram dictionem

nem

nem tantam hominum turbam, ſeu potius armentorum greges, adhinnire. Miremur nos eſſe riſum extraneis & jocum, cum ſciamus quibus plauſibus in urbe ſublata ſint (honorem praefabor) portentoſa ſcurrarum & paraſitorum flagitia, immanibus ſoloeciſmis & barbariſmis, tanquam coeno & luto diffluentia? quorum obſcoenam dicacitatem, & pueriles ineptias, optimi, ſi dîs placet, doctrinarum in urbe cenſores, vel ipſis malorum carminum, ſeu venenorum auctoribus inquinatiores, Juvenali & Perſio (nam Horatium & Ciceronis aevum nihil morantur) non ſine ſanorum hominum ſtomacho praetulerunt, ac imaginem Romanenſis eloquii ſtudioſis & peregrinis omnibus eſſe voluerunt. Scitos arbitros! En ad quorum judicium gens togata recurrat! En a quibus aliena laus & dignitas pendeat! En qui pretium mercium noſtrarum conficiant! En Roma aediles tuos! En Varrones noſtros & Nigidios, quibus non alia conditione proberis, quam ſi vitam impuram cum impura dictione conjunxeris! Non verear ne quicquam me fingere ſuſpiceris, cum hujus improbitatis, atque ſtuporis ſpectator ipſemet fueris, ac pro tua doctrina & integritate reprehenſor, im-

mo vero etiam exagitator, & hoſtis acerrimus. Tu tamen de noſtris ingeniis ex horum ſtultitia quaeſo ne judices. Nam ut ſoli ubertatem admireris, in incultis agris, ac propedeſertis, ubi doctrinarum radices negliguntur (atque utinam non evellantur!) ingenia ſponte ſua pullulant, & ſi pravam conſuetudinem effugiant, aut mature animadvertant, per ſe mirabiliter enituntur & efflorescunt: ut quod alicubi publica educatione atque cura commovetur, & excitatur, apud nos domi naſcatur, & in magna rerum ac temporum difficultate privato cultu praeſtetur. Quamvis enim rerum faſtigia vitioſa ratio teneat; recta ſe tamen privatim inſinuavit, ac ſi non eminet, ſaltem repit. Nam praeter eos, quorum virtutes & literae, vel civilibus, ſacriſve muneribus, vel editis jam libris ſunt inſignes, quorum alii in philoſophia, vel geometria, vel medicina; alii in eloquentia, praeſertim in laudationibus, vel Etruſca poëſi; alii in Jure civili, vel Pontificio, ſacra ve theologia ſumma cum laude verſantur. Adſunt & plures, praeſertim Neapoli, ubi omnium eſt doctrinarum, bonarumque artium celebritas, quorum fama nondum emanavit, qui vel modeſtia, vel vitae in-

inſtituto, vel occupatione forenſi, vel rerum humanarum contemtu, vel denique duriore fortuna, qua ſane hic multi conflictamur, frequentiam hominum caventes in ſinu gaudent, nec dum ſeſe luci crediderunt; ita ut ad exteros leviora ſaepe perveniant, cum graviora vix effluant: non enim aliis, ſed nobis tantummodo intus canimus. Quietem enim obſcuram, quam tumultuoſam gloriam malumus. Nam, quod ſapienter & egregie Carteſius expendit, literarum gloriam ſaepe totius vitae perturbatio conſequitur. Vale. Romae VI. Kalend. Martias MDCXCIV.

J. VINC. GRAVINÆ

Jurisconsulti

DE CONTEMTU MORTIS.

AD FRANCISCUM PIGNATELLUM

ARCHIEPISCOPUM TARENTINUM.

GRavi cura, qua premebaris, liberatus es nuper superioribus literis, quibus tibi significavi valetudinem Franciſci Carafae fratris tui jam eſſe communibus votis & bonorum omnium ſtudio, atque laetitia reparatam. Quae cum literae tibi jucundae fuerint, erunt haec profecto jucundiores, ex quibus non modo allevari jam corporis nuncium accipies, verum etiam cognoſces in-

victam illius in morbo tolerando, & contemnenda morte constantiam. Quibus nunciis eo te arbitror oblectatum iri magis, quod cum summum bonum in pietate ponas, atque honestate, propinquos & necessarios virtutis, quam sanguinis affinitate malis habere conjunctos. Nec enim quicquam est apud te prius, quam vetustatem & nobilitatem generis incremento novae gloriae, ac illustrium imitatione facinorum amplificare, cum non tam opes & potentiam domus vestrae, quam continuos proavorum honores proprio splendore, ac laude tuearis. Summarum autem virtutum, quas per manus traditas a majoribus accepistis, non exigua pars in fratre tuo consedit, atque in ejus animo, velut arbos in feracius translata solum, nimium quantum efflоruit ac pullulavit. Hanc ille virtutem cum tota vita, qua consilii, qua rerum gestarum praestantia prae se tulerit; tum in mortis periculo cumulate reddidit: ita ut videretur omnem sapientiam totius vitae cursu fusam ac explicatam, ad extremum illud tempus contraxisse, atque ad ultimum contulisse discrimen. Cum enim dejectum esset morbo corpus, ipse tamen animo nunquam concidit; sed erectus usque ac sibi praesens,

fens, ubi munera pietatis intermitteret, ad veterum praecepta ſapientum revolvebatur. Ac prae caeteris curis unum ajebat bene vivendi, ac bene moriendi ſtudium ſibi fuiſſe propoſitum. Quamobrem eum caſum in beneficii loco ponebat: propterea quod afflictis jam ſenſibus, non modo intercluſus eſſet aditus vitiis, verum etiam radix eorum elangueſceret: quodque fuerat ei maxime in optatis, ut culpae periculum longius arceret, id ſibi dicebat a morbo praeſtari. Adſpectu namque mortis opinionem rerum humanarum eſſe depulſam, ac animum a mortalibus curis ad immortalium bonorum contemplationem abductum. Quae illi adeo haeſerant, ut neque familiarium officiis, neque cariſſimorum liberum adſpectu, ad res humanas revocaretur; ſed ſiccis oculis intuebatur moeſtiſſimorum adoleſcentium lacrymas, in quibus tantiſper mente defixus eos admonebat, ut ſi nullum virtutis exemplum patris vita ſuppeditaſſet, mortem ſaltem ſibi ducerent imitandam. Nec enim exiguum a patre vitae praeſidium habituros, ſi artem ab eo diſcerent bene moriendi, ex qua recte vivendi ratio deduceretur. Ac ſi ſaperent, hoc exemplum pluris facerent,

quam

quam opulentam haereditatem. Quibus ille verbis uberiores ab adſtantibus lacrymas exprimebat. Eoque nos torquebamur magis, quod tum potiſſimum intelligebamus quantum nobis mors virtutis fructum interciperet. Adeo enim ſapientiae nervos in praeſenti contendit, ut omnis illius maturitas ad hujus periculi tempus erupiſſe videretur. Quamvis enim antea prudentia & firmitate praeſtitiſſet innumeris; hoc tamen tempore naturam vicit, ac ipſam prope ſuperavit humanitatem.

Quam animi praeſtantiam non modo luctus & dolor neceſſariorum, ſed fletus ac gemitus urbis conſequebatur univerſae: quae cum periculum illius communi ſqualore nobilitaſſet; confirmatam deinde valetudinem eſt ingenti plauſu proſequuta, virtutemque hominis non modo privatis officiis, ſed publica etiam honorificentia celebravit, excitatis ad illius laudem eruditiſſimorum virorum carminibus; quibus optimi viri periculum deplorabatur. Nec unquam Roma optimos cives tot laudibus ornavit, quot nunc peregrinum principem: ſi modo peregrinus dicendus eſt, qui poſt antiqua inſtituta convulſa ſpeciem reddit Romanae virtutis.

Nec

Nec enim exutis Romanis moribus civitas retinetur: & civis Romanus est non quem septem colles ediderunt, ac educarunt; sed qui e veteribus Romanorum institutis expressus est atque formatus, quique in antiquitatis memoria diu versatus, e veterum cognitione atque imitatione factorum susceptit, ac refert mentem animumque Romanum. Quo sane qui careat, quamvis in Capitolio natus, exul fuerit ille, non civis. Contra, quisquis constans est in retinenda libertate, quisquis in sacramentorum fide religiosus, in adeundis periculis impiger, fortis in patriis legibus institutisque tuendis, quisquis ad voluptates temperantiam, ad injurias magnanimitatem, ad sumtus magnificentiam, ad secundas adversasque res animi aequabilitatem adhibuerit; is extincta jam Roma illa veteri, quamvis e media Scythia fuerit exortus, a Romanis virtutibus Romana civitate donatur: praesertim si Romanos mores non factis solum, sed incorrupto usu Latini sermonis expresserit. Romanum enim nomen & urbis dignitas in eo conservatur, in quo lingua, morum index, & Romani mores intermortui reviviscunt. Porro cum nihil tam Romanum sit quam

obire

obire pro aliorum ſalute pericula, praeſtare fidem, contemnere mortem, antecellere animi magnitudine rebus humanis; jure hunc honorem urbs habuit fratri tuo, quem ſi reſpublica reſurgeret, quovis pretio ſibi civem adoptaret. Ego vero plurimis quidem illi, at hoc potiſſimum beneficio ſum obſtrictus; propterea quod ſapientiae vires, quas prius ex praeceptis tantum philoſophorum, & memoria rerum geſtarum comprehenſas habebam, nunc illius periculo reapſe ſum expertus. Nec enim antehac tantum in virtute ponebam, quantum in ea ponendum eſſe me illius conſtantia docuit. Ac nunc plane intelligo ſapiens ſtulto quid interſit. Stultus enim dum ejus vitam aut ſpes uſque protracta ſuſpendit, aut praeſens ſcelerum conſcientia conficit, aut retexit poenitentia ſuiipſius; vel ita vivit ut ſingulis momentis extinguatur, vel ſi unquam exoritur, miſeriae tantummodo reparatur: fons enim vitae ratio eſt, quae alitur cognitione veritatis, atque exercitatione virtutum, quarum alteram eripiunt errorum tenebrae, alteram ſordes vitiorum. Eoque majori mortis formidine ſtulti corripiuntur, quod vivere deſinunt antequam ad vitae limen adierint. Vi-

ventes enim toties vitam abrumpunt, quoties a luce cognitionis, & portu tranquillitatis, cupiditatum aestu, tanquam adversa tempestate revocantur. Jure igitur mortem, utpote vitae vix dum exorsae terminum, & aeternorum suppliciorum initium, pertimescunt. Quorum enim nulla pars corporis vacat a voluptate, quorumque omne tempus vitiis transmittitur; iis mors est me hercle gravissima: quoniam omne id, cujus causa vitam instituerant, amittunt; & qui superest animus angoribus reservatur. Qui possint igitur non esse miserrimi, cum videant potiorem sui partem, quae corpore continebatur, effluere: integra modo, minima sorte sui, mente, qua raro sunt usi, quaeque ita vivit, ut nihil habeat vivendi necessitate miserius? Sapientes vero maximam partem funeri supersunt: quia notionum copia, & varietate scientiarum producentes intelligentiam, & amplificantes mentem, quae tota in intelligendo cognoscendoque versatur, eam sui portionem propagarunt, in qua mors & fortuna nihil prorsus habent juris: corporis vero bona negligentes, & vim eorum extenuantes, tantum praedae morti ac fortunae subtraxerunt, quantum externarum rerum, & corruptarum

rum voluptatum sibi denegarunt. Iis enim quae sunt in mortis potestate, tantum abest ut sapiens teneatur, ut quicquid per haec ad animam pervenerit, sibi putent excutiendum. Sensus enim perversas & mutilas offerentes formas rerum, eripiunt adspectum veritatis, quae nunquam emerserit, nisi sevocaverimus ab iis mentem, & nosmetipsos collegerimus. Affectiones vero implicantes animum rebus externis, hominem fortunae permittunt, a qua vel perpetuae fluunt molestiae, vel confusae molestiis voluptates. Quod enim habet fortuna bonum, ejus est incerta possessio, & totum periculi metu corrumpitur: quoniam dum praesentibus fruimur, cogitatione futuri miseriam anticipamus. Nec unquam a perturbationibus liberamur, nisi quum distrahentes mentem a sensibus, & animum a rebus externis abducentes, supra mortalem conditionem attollimur, & naturae dissolutionem imitamur: ita ut nullum tempus sit in vita beatius, quam quod moriendo traducitur.

Quamobrem vita sapientis perpetua exercitatio mortis est, & mors aeternae institutio vitae, ac aditus ad immortalitatem. Quid enim habet rerum humanarum conditio quo sa-

pien-

pientem irretiat ? Senſuſne, quibus veritas labefactatur ? an voluptates, quas vel moleſtiae, vel faſtidia conſequuntur ? an amicos, quos vel divellit a nobis livor, vel eadem diſtrahit utilitatis ratio, quae conjunxit? an potentiorum gratiam, quae diuturnis collecta laboribus & obſequiis, vel oblivione deletur, vel ſuſpicione tollitur ſaepe leviſſima, vel taedio retribuendi ſenſim exulceratur ? an honores, quos anxietas & ſolicitudo circumſiſtit? an opes, quas pericula comitantur ? an parentes, quorum aliqui non alio conſilio ſuſcipiunt liberos, quam ut habeant quibus imperent? an ipſos denique liberos, quibus aliquando magis haeret odium imperii paterni, quam memoria benefactorum ? Quid igitur mors eripuerit, niſi vel externa bona, quae ſapiens ſibi nunquam attribuit, vel aegritudines, quae aliquando etiam animis ſapientum contagione corporis adhaereſcunt, quaeque ſoluto corporis nexu diluuntur ? Intelligentia vero & mens, quibus conſtat ſapiens, nunquam perimitur : ſed ubi ſeſe corpore velut nubibus explicaverit, tanquam a diuturno exſilio reducitur ad divinitatem. Quicquid igitur humanitatis mors depaſcitur in ſapiente

mi-

minimum eſt, ac ab eo jam diu repudiatum: quae vero ſunt in aere ſuo, nunquam tam bene ſibi vindicat, quam quum externarum veſtigia rerum obliterantur. Tunc enim quamvis ſolutis languore ſenſibus, ratio tamen excubat, & dum mors bellicum canit, triumphat animus exſultatque victoria. Quam ſane triumphi ſpeciem praebuit frater tuus; qui mortis adſpectum ita ferebat, ut non diſceſſurus e vita, ſed aggerem inter humanitatem & divinitatem interjectum, videretur eſſe tranſmiſſurus. Quam ego virtutem minime ſilentio mihi praetereundam exiſtimavi: quandoquidem, qua eſt ille humanitate, laudibus atque adhortationibus ſuis initia ſtudiorum meorum aluit atque provexit: ita ut eorum fructum ſuo jure ſibi vindicet. Iccirco quod habent eruditi ſummum pretium, id ei perſolvendum putavi, ac ſingularem ejus conſtantiam tradendam literis: quod quidem officium imperitorum opinione minimum eſt, ſaniorum vero judicio maximum. Siquidem nihil illuſtrius, nihil honorificentius, nihil mirabilius tribuere homo homini poteſt, quam id quod ſecundum Deum ſola praeſtat eloquentia; nempe operum & nominis aeternitatem.

Fa-

Fama namque virtutis, & memoria benefactorum, quae ſumma laborum ſunt & ſapientiae praemia, diuturnitate interciderent, niſi exciperentur doctorum hominum literis, & muniren tur eloquentia, praeſertim Latina, qua praeclarorum hominum vita cum omnium populorum, ac temporum memoria contexitur. Tibi vero, vir clariſſime, ac omnibus virtutibus ornatiſſime, ſummopere gaudendum cenſeo, quod fratrem recuperaveris, generi veſtro parem, fortuna & ipſa morte majorem, ac, ut uno verbo laudes complectar univerſas, quam ſimillimum tui. Vale.
Pridie Kal. Auguſti MDCXCIV.

J. VINC. GRAVINÆ

Jurisconsulti

DE

LUCTU

MINUENDO

AD

TROJANUM

MIROBALLUM.

UM primum mihi nunciata est mors filii tui, optimae spei adolescentis, tam graviter sum perculsus, quam qui nihil haberet ejus vita jucundius, tum propter ipsius ingenium & doctrinam, morumque probitatem: tum ob utriusque vestrum in me studium; tum propter decus & utilitatem, quam vivens ille patriae, atque amicis, doctisque omnibus erat allaturus. Accessit ad hanc tristitiam cogitatio doloris tui, cujus ille virtu-

tes

tes ita referebat, ut dum viveret, tu quidem imagine tui gauderes; cives autem omnes, atque amici ſperarent paternam ſapientiam, ac probitatem, a filio etiam cum foenore redditum iri: quippe cum omne quod a natura praeclarum optimumque ſuſceperat, literarum ſtudiis, &, quod ſummum eſt, tuis potiſſimum praeceptis atque exemplis excoleret. Cum igitur communis, prope dicam, calamitatis ipſe non exiguam partem exhauſerim; nihil habui quo levarem aegritudinem, quam hanc tecum jacturam per literas conqueri, atque hoc edere doloris & obſequii teſtimonium. Huic enim ingenti meae triſtitiae plane, ſatisfactum putabo, ſi tu me ad officium lacrymarum admiſeris. Nec enim auſim ope literarum a jucundiſſimi filii morte lugenda patrem amantiſſimum avocare, inque medio curſu dolorem exundantem cohibere, aut viro in omni doctrinae genere verſato, rationes & praecepta ſubjicere, quibus docti & ſapientes aut demulceri ſuaviter, aut extingui prorſus poſſe doloris acerbitatem arbitrantur. Quorum ſi prius coner, ineptus; ſi alterum, impudens haberi poſſem. Nec enim illud modo, vir ampliſſime, perſpectum habes, quod commune

eſt

est & pervagatum ; nihil scilicet in rebus humanis optimum idem esse ac diuturnum : sed quum anhelitum ex subito dolore recipies,& ab improvisa re aliquanto respiraveris, illud ut cum maxime cogitabis ; ita nimirum esse rebus singulis,ac earum universitati comparatum, ut cum nihil exoriri sponte sua possit, ita nec in ullo situm sit, naturam ac statum tueri suum, nisi quoad divino nutu constitutum fuerit & definitum. Nec te fugit ita cum rerum universitate singula consentire, cumque jucundis tristia commisceri, eoque nexu cuncta comprehendi, ut qui aliquod bonum assequitur, idem ansam simul arripiat continentis mali.Cui namque potestas rerum jucundarum potiundi facta fuerit, eidem credas jam inde ab initio edictam fuisse a divina providentia legem inhaerentis molestiae subeundae. Quare qui rebus tristibus torquetur, idem debuerat & a jucundis, quibus tristia continentur, abstinere ; sive potius vivendi leges, institaque vitae conditiones, simul cum ipsa vita recusare. Quod cum hominis desipientis sit, & erga Deum injurioſi ; ita sapientis est ac pii subortum malum leniter ac patienter ferre : quandoquidem ab oblato susce-

pto-

ptoque bono divelli non poterat sine divinarum legum injuria, & totius quodammodo naturae pernicie. Quapropter si filium suscepisti, ac idem immatura nobis aetate, & in ipso adolescentiae flore fuit interceptus; jam hoc eventu compertum tibi sit, cum eum tolleres non proprietatem illius, sed usuram ad vicesimum annum tibi fuisse condonatam: potestas enim eorũ quae divina providentia obvenerunt, nulli mortalium permittitur. Si hac igitur eum opinione sustulisses, tanquam ad vicesimum annum redditurus; quamvis hunc ademtum vitae fructum etiam atque etiam doleres, esset tamen dolor ille remissior: tum quia te jam pridem ad hanc aegritudinem comparasses; tum quia non videretur alieno tempore, sed anno suo, atque ad legitimam diem a te repetitus. Quod igitur caligine rerum futurarum erat involutum, id eventus non peperit, sed natum aperuit & explicavit: ideoque Deo potius acceptum ferendum est, quod hujus boni usum ad hoc tempus tibi remiserit, quam indignandum, quod filius a tuis complexibus immature fuerit avulsus. Nihil enim a Deo praeter legem, nihil praeter tempus, nihil denique praeposterе aut immature contingit.

Hu-

Humana tantum ignorantia, quae rerum eventus aliorsum trahit, quam quo Deus intenderat, propriis affectionibus cuncta labefactat; ut vel intempestiva nobis appareant, vel immatura. Cum quis enim spatium a Deo definitum natura duce compleverit, nec immaturus esse, nec tardus potest. Siquidem nec equum tarditatis, nec aquilam nimiae celeritatis accuses, quod haec quam ille celerius lineam transilierit. Quamvis autem ille tuo, & omnium nostrum, patriaeque desiderio exiguum vitae curriculum confecerit; tamen si scientias spectes, & doctrinas, quas tam brevi percurrit, satis diu fortasse prae caeteris vixisse judicabis: siquidem non aliud est vita, quam cognitio: quoque celerius & latius quis in rerum cognitionem animo se conjecerit, eo majus vitae spatium occupabit. Nam quot in mente notiones excitantur, tot vitae gradus identidem adjiciuntur: & tum ad superiores, tum etiam ad futuras aetates vitam propagat quisquis acri vigens intelligentia, rerum gestarum memoriam cum futurarum ratione, animo provisa meditando conjungit, ac aevum omne quodammodo sibi sub aspectum ponit. Stultos sane, si Nestoreos annos vivendo

vicerint, extinctos usque judicaverim. Naufragium enim eorum est, non vita, quorum animi rerum ignoratione, mentisque perturbationibus exagitantur: ita ut praestet punctum temporis vivere sapienter, quam diu stulte. Annos igitur mors filio tuo contraxit, non vitam, quam illo dum inter mortales versaretur, exacuenda intelligentia ultra humanam produxit aetatem; & abiens, pietatis suae meritis in immortalium bonorum possessionem a Deo confirmandam impetravit. Vale, vir clarissime, quodque aliis praestat dies, id tu a sapientia tua in leniendo dolore consequaris. Romae XIV. Kalen. Februarias MDCXCIV.

FINIS.

DELLE

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Gravina, Gianvincenzo,

Opuscula

Napoli 1723
Opp. 74
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10602531-5